
HIEROCLIS
PHILOSOPHI ALEXAND.
DE PROVIDENTIA ET FATO,
déque liberi Arbitrij cum diuina gubernatione conuenientia:

Commentarius, in compendium redactus, & nunc primùm luce & Latinitate donatus; ex fide Græci codicis vetusti, è Bibliothecæ Medicææ penu eruti:

Interprete FED. MORELLO Paris. Professore Regio.






LVTETIÆ,

Apud FEDERICVM MORELLVM Typographum Regium.

M. D. XCIII.


ΑΛΗΘΕΙΑ



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, ET

Reuerendiſſimis Antiſtitibus, atque ornatiſſimis trium Galliæ Ordinum Legatis ad Regni Comitia Lutetiæ celebrata.

EST profectò Deus, *Flos delibate Galliæ*, qui quæ nos gerimus, audítq; & videt: *ait Comicus Romanus, Romanè, non Comicè. Et certè,* Aſpiciunt oculis Superi mortalia iuſtis. *vt ritè cecinit alter ingenioſus Poëta Latinus, memor Homerici iſtius Oraculi,* θεὸς δ᾽ ἐγὼ πάντα τελευτᾷ. *Quæ Cathena aurea eſt eiuſdem Vatis diuini: nempe æterna illa præpotentis*

Dei προνοία, *quæ Liliis, lectißimis flori-*
Matth.6. Luc.12. *bus,* οὐδὲ κοπιῶσιν οὐδὲ νήθουσιν, *tantam largitur venustatem, quantam Regijs ornamentis ars nulla pigmentaria, nec Phrygionica dare posset: & per quam summus rerum omnium arbiter sapientißimè cuncta regit & conseruat: sub cuius imperio, iuris tamen nostri sumus, tum maximè cùm vsquequaq; Deo paremus, eúmque sequimur. Qua de re subtiliter & accuratè Græcè olim fusius disputãtem Hieroclem, Platonicum Philosophum, nunc autem Latino sermone, vt in Græcis schedis, angustius, minúsque integrè, differentem, vulgamus sub tutela Nominum vestrorum. Nec improbabitis, opinor, hoc qualecunque munusculum: quod etsi per se exiguæ molis sit, tamen ad magnum argumentum, & vtriusque Mundi* δημιουργίαν *& salutem pertinet: imò ad vos præsertim spectat, qui*
huc

huc à Prouidentia diuina potiùs quàm humana delegati conuenistis, ad opus maximum, Deóque acceptissimum,
- cuius graue & immutabile sanctis
Pondus adest verbis. *Hoc quod instat agite.* -- οὐ χρὴ κλοτοπεύειν ἐνθάδ' ἐόντας, οὐδὲ διατρίβειν· ἔτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον. *Interim ex hac Romana Orchestra digladiantem, & interdum* ἀέρα δέροντα, *hunc Alexandrinæ Philosophiæ pugilem, lubentes spectate; & valete, meq; serentem arbores alteri saltem seculo profuturas, amate.*

Ex Vrbis Academia, Kal. Iulijs.

V. D. D. addictissimus cliens
FED. MORELLVS,
Profess. & Interp. Reg.



VITA HIEROCLIS PHILOSOPHI ALEX. EX SVIDA.

HVic, ad constantiam & grauitatem, ingenij vbertas tanta accessit, itaq; linguæ præstantia, nominúmque optimorum, atque verborum copia excelluit, vt omnes vbique auditores in sui admirationem raperet. Fuit verò ipsi etiam discipulus nomine Theosebius, vir, si quisquam alius, ex ijs quos ipsi nouimus, in intimos hominũ sensus acie mentis penetrare solitus. Aiebat enim idem Theosebius, Hieroclem aliquando inter narrandum dixisse, Socratis sermones similes esse tesseris: Stare enim semper erectas, vtcunque cadant. Hiero-

Hierocles verò fortitudinem, animique robur, ea calamitas ostendit, in quam incidit. Byzantium enim profectus, cùm in procerum offensionem incurrisset, in iudicium pertractus, plagisque crudelissimè acceptus fuit. Cùm autem manantem ex eis cruorem caua manu excepisset, eo iudicem aspergens, dixit,

Vinum hauri, Cyclops, humana carne vorata. Home. Odyss. 9.

Exilio porrò damnatus, & Alexandriam posteà reuersus, solito more cum discipulis philosophatus est. Licet verò scientiæ eius, atque iudicij magnitudinem ex ijs colligere, quæ scripsit in Pythagoreorum versus aureos: de Prouidentia: librisque multis aliis: ex quibus apparet hominem vita quidem sublimem fuisse, scientia verò accurata.


Libanius lib. 1. Ep. ad Acacium scribens, obitum Hieroclis deflet, hoc modo; *Iacet Aristænetus, ô Iupiter! atque altera nos insuper plaga profligauit, cùm ne Hieroclis quidem capiti Genius pepercerit.*

EX D. AVGVST. L. V. DE CIV. DEI. C. X.

NVllo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum. Sed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur, illud, vt bene credamus, hoc vt benè viuamus. Malè enim viuitur, si de Deo non bene creditur. Ergo, absit à nobis, Dei negare præscientiam, vt liberi esse velimus, quo adiuuante sumus liberi vel erimus.

M. Tullius Cic. *hic naufragium fecit, qui in lib. de Diu. Prouidentiam maluit tollere, quam detrahere aliquid de humana libertate.* Ita dum homines liberos fecit, (*inquit idem Præsul August.*) fecit sacrilegos. *Idem tamen in or. pro Ligario, ait,* Neminem mirari debere, humana consilia, diuina necessitate esse superata. *Hierocles verò noster remouit se procul ab ista Charybdi. Fati porrò nomine vsus est in vera & sana notione: pro æterno, scilicet Prouidentiæ decreto, seu, Sanctione & velut voce diuinæ mentis.*

FAB. *Quintil. l. 12. c. 1* Multos non nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quàm Prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere.



SVMMA COMMENTARII HIEROCLIS PHILOSOPHI DE PROVIDENTIA ET FATO, déque liberi arbitrij cum diuina gubernatione conuenientia.

Interprete FED. MORELLO *Paris. Professore Regio.*

PROPOSITVM *huius disputationis est comprehendere ea quæ de Prouidentia ex Platonis & Aristotelis sententia constare poßüt apud eos qui vtrumque Philosophum sequuntur. Nam Platonicorum & Aristotelicorum opiniones conciliare studet Hierocles: quinetiam contendit eos omnes qui hos Philosophos dissentire inter se arbitrati sunt longißimè aberrasse à sententia vtriusque Philosophi, & procul a vera ratione remotos fuisse: alios quidem, contentionis studio & vesania inductos, semetipsos*

Hieroclis commentarij scopus.

Platonis & Aristotelis consensus.

tantùm consuluisse : alios verò præsumptione animi & inscitia adstrictos fuisse : atque illos certè maiorem choream constituisse; donec Ammonij sapientia affulsit. Hic enim Ammonius cùm veterum Philosophorum opiniones perpurgasset, Platonis & Aristotelis mentem valde consonam & concordem esse indicauit in iis preceptis quæ omnium maximè necessaria sunt. Eius autem discipuli, Plotinus, Origenes, itémque Porphyrius & Iamblicus extitêre. Verùm hoc seriò tractans Hierocles in hac disputatione eas quidem opiniones corroborat, quas isti cupidè amplexi sunt: Magnum verò & acre certamen suscipit aduersus contrariam partem tuentes Epicureos, Stoicos & reliquos, qui Platonis quidem & Aristotelis autoritate niti videntur; verùm non rectè exponunt, quæ ab illis tradita sunt: præterea Genethliacos redarguit qui in natalitiæ horæ obseruatione occupati desudarunt, lubricam & fallacem eorum de fato opinionem esse comprobans. Eos autem potissimum refutat qui rerum omnium prouidentiam destruere conati sunt, nescio quibus machinationibus, incantationibus, atque aliis eiusmodi tormentis quæstionum. Atque, vt semel omnia comprehendam, insectatur &

Ammonij laus, scripta & discipuli.

Hieroclis aduersus alios Philosophos certamen.

Genethliacorum & Atheorũ reprehensio.

exagitat omnes illas opiniones, quæ indoctiores eò adducunt, vt aut nullam omnino prouidentiam esse existiment, aut prauam existere suspicentur. Atque hæc quæstio ex Platonis quidem sententia, Deum substituit ipsum, aspectabilis & inaspectabilis molitionis opificem; quam artifex fecit, vt ex nihilo existeret, atque è nulla re subiecta eduxit: quippe sufficiebat ipsi, quò rerum natura subsisteret, propria voluntas. Iam verò ex corporea essentia, cum incorporea molitione coniuncta, ex vtroque perfectissimo duplicem simul & vnicum Mundi ornatum constitutum fuisse, in quo summa à mediis, media ab imis, Sapientia Mundi opifex secundum naturam distinxit ac separauit. Prima autem ex his sunt cælestia ratione prædita; media, ratione vtentia, ætherea: vltima denique terrestria, quæ rationis vsum habent. Hæc porrò tria genera, tanquam in vno animante aut choro aut concentu, connecti inter se inuicem, ita vt eorum naturalis distinctio ob arctam coniunctionem & mutuam ipsorum inter se cohærentiam, pura & inconfusa conseruetur; & præstantiora inferioribus antecedere: his verò omnibus imperare Deum & opificem Mundi. Atque hæc, *inquit*, ipsius regni quasi

Quæstionis firmamentum.

Tria rerũ genera.

Prouidẽtiæ definitio & distinctio.

paternam appellationem obtinens Prouidentia & habetur & reuera est, quæ vnicuique generi propria & conuenientia tribuit. *Prouidentiæ quidem certe sociam & comitem Iustitiam, vocari Fatum indicat, quæ iustitiæ diuinæ efficentia est, in iis quæ ex Prudentiæ decreto eueniunt, quæ res in nobis sitas ordine & seriè quadam dirigit ad ea proposita voluntariarum actionum, quæ sub opinionem cadunt. Sed hæc perspicuè videre potest is qui Philosophi commentarium euoluet. Sic igitur orditur disputationem.*

Exordiũ disputationis Hieroclis.

Et cur hos tibi, *inquit*, numero? quandoquidem Platonicorum etiam nonnulli sanam & rectam intelligentiam non habent de summo rerum opifice Deo. Non enim satis in eo virium esse censent vt integrè & perfectè sua potentia & sapientia (qua ab omni æternitate res efficit) mundum conseruare in statu possit: Sed generatæ materiæ ministerio & natura extrinsecus data & subiecta vtentem, opus conficere posse; cùm omnia potestate in materia priùs constituta sint, ipse vero quasi penicillo describat ea & ordinet, ac separet à figura materiæ inhærente: quod quidem curiositatem po-

Platonicorum error de Deo. [illegible]

tiùs, quàm bonitatem Dei argueret. qua enim tandem ratione quæ non constituit, regere & ordinare nititur? cùm vtique etiam quod inordinatum erat in eorum natura, ortum nullum habuisset. Quod enim nullo generatum est ortu, & per se subsistit, si quid assumat, præter naturam adsciscet: atqui præter naturam quid constituisse, malum est, quod subuersionem affert. Ita vt non bonum fuerit prædictę materię, ornatum & ordinem accipere: si quidem nullum ortus principium habuerit, non solùm temporis ratione, sed & causarum; in qua significatione Deum etiam sine ortus principio esse dicimus: verùm ne Deus quidem ipse planè extra causam malorum positus fuerit, cùm initium opificij instituerit ab aliqua malignitate, dum præter naturam disponere conaretur substantiam sibi coæternam, æque ingenitam; & sororem suam, quam casus fortuitus ad se adduxerat, non fineret manere in eo ordine in quo fuerat ab omni æternitate, vt eum teneret quem nullo modo seruare poterat: tum quia rem sibi submittere vellet quæ pari secum honore

& æquali æternitate esset, vt ab æterno talem obtineret dominationem. Siue ab aliquo temporis principio aggressus fuisset, hoc autem magis à veritate alienum esset, si præter effectionis materiæ inhærentis defectum, ab aliquo tempore elegantem rerum descriptionem facere incœperit, quod non permittit ipsum manere in eodem affectu, iisdémque moribus. Enimuerò si melius fuisset, non efficere & constituere, quare ad efficiendum se contulisset? sin præstitisset efficere, quamobrem non ab omni æternitate effecit? nisi id in causá quis esse dicat, quòd natura quidem possit, partium ratione, tum efficere, tum interitum afferre, æterna vero moliri præ imbecillitate non valeat: Quoniam vitiositas materiæ, quam sibi adsciscit, adiectitium & aduentitium ordinem continenter exagitat & excutit, ad inordinatum suum (vt dixerit aliquis) statum refugiens, nullo generatum ortu. Hinc fit vt per partes & tempora quod ornatum & inornatum atque inconditum est, valeat, vel, vt veriùs dicatur, indecora ornatus priuatio semper vigeat: quandoquidem

ornatus ipse, si dispositio & descriptio quædam sit præter naturam, inconditum quid æquo rerum æstimatori videbitur. Etenim illa secundum naturam & essentiam dicuntur efficere, quæcunque permanent constanter & sine vlla mutatione in sua substantia, facultate & actione, & nullam omnino à se partem distrahunt, neque adeò impellunt ad rerum procreatarum subsistentiam: sed pro ratione tantùm eius quod est, deducunt secundorum & posteriorum generationem. Ex quibus consequens est, Deum neque materiam ad vsum suum adhibuisse: neque ab aliquo temporis principio, aut in tempore, efficere, neque verò ad certum tempus desinere; neque extra opificis effectionem iacere id quod fit. Ista enim omnia consequuntur effectum, quod casu & fortuito fit, vt vsuuenit in architecto & similibus. Enimuerò Prouidentia & ordo, à Mundi parēte, & effectore Deo, communiter ad omnia immortalia genera pertingit, potissimùm verò ad prima, & ea quæ continenter & proximè ab ipso ortum ducunt, & deinceps ordine illum sequun-

Conclusio de ratione opifici Dei.

Prouidentiæ ordo.

hoc ætheriis ex propria eſſentia ineſt. Iam verò, neque ſemper Deum intelligere, & intelligentia ſolùm particulari, diuiſa atque interrupta frui, humanis mentibus, tanquam peculiare, conceditur: quia deficiunt natura ſua ab indiuidua illa intelligentia cæleſtium, & cognitione ætheriorum, quæ ſuo ordine complectur & perficitur. quandoquidem neque cohærenter, neque perpetuò intelligunt: & tum cùm ad intelligendi vim adducuntur, ætheriam cognitionē æmulantur, eámque conſequendo, earum rerum quæ ſub intelligentiam cadunt contemplatione fruuntur. Hac certè ratione Plato diſcrimen Dei erga nos Prouidentiæ oſtendit, in Legibus, ſic dicens, *Deus quidem omnia, & cum Deo, fortuna & opportunitas res omnes humanas adminiſtrant.* Ex quibus perſpicuum eſt Platonem iis naturis quæ ab affectionibus liberæ ſunt, & vſquequaque perfectæ, atque ita peccati expertes, puram, ſimplicem & vniuſmodi Dei prouidentiam conſtituere: aliis verò ratione quidem vtentibus, ſed ab ignorantia & inſcitia quandoque abreptis, ideóque vitio plenis, permixtam occaſionibus

Plato, lib. 4. de Leg.

Prouidētiæ diſtinctio pro ratione naturarū.

& fortunis prouidentiam declarare. Eſt enim bonorum antegreſſa largitio, & eorum quæ natura inſunt conſeruatio, opus proprium puræ prouidentiæ. at directio & emendatio eorum quæ præter naturam conſtituta ſunt, & delictorum coercitiones, eius prouidentiæ eſt, quæ materiæ ſordibus inhæret, & fortunis atque commoditatibus inſeruit. Neque enim diuinum iudicium, præſumpta quadam ratione, his quidem infert calamitates & perpeſſu grauia: aliis verò voluptates & delectationes præbet: ſed pro ratione & meritis anteactæ vitæ. Quandoquidem ſimilitudinem aliquam habere videtur cum Medica arte, iudicium eorum Iudicum qui nobis præſunt: illa ſiquidem ars, dum curandos ſuſcipit eos qui ſua culpa in morbum inciderunt, cuncta, vt par eſt, ipſis præcipit, tempeſtiuè & opportunè, vt ægrotorum valetudo poſtulat. ob eadémque cauſam æſtimatio quidem eorum de quibus iudicium ſtatuitur, cùm alio tempore alia ſit, & liberis permotionibus fortunas variet, prouidentiam illam commiſcet, quæ nos ſpectat. verùm ordo ſingulis conueniens,

Prouidẽtia pura.

Prou. mixta.

Comparatio Medicæ artis cum iudicio diuino.

ſupplicij & purgationis tēpus ſimul inducit: fortuna vero & occaſione cum diuina prouidentia coniunctis & copulatis, tota illa connexio eſt fatum, quod ex humana quidem eligendi optione, fortunam aſſumpſit: ex iudicio vero diuino, opportunitatem infert. Etenim artis eſt definire modos curationis: hominis autem ita deſcribere & diſponere, vt inciſione opus habeat, aut aduſtione, aut alia quauis dura & acerba ſanatione. Non ergo fruſtra leges conſtitutæ erunt hominibus, neque ratiocinãdi vis temere iiſdem conceſſa eſt: neque conſultatio & deliberatio eſt ſuperuacanea, neque vota & preces redundant, ſi prouidentia humanis negotiis præſit: lege & iuſtitia voluntatis & propoſiti præmia conſtituens ac decernens. Neque verò, ſi hæc neceſſaria, pulchra & ſalutaria perhibentur, fati prouidentiæ adiuncti ordo planè tollitur, qui liberum noſtrum conſilium & arbitrium inſtruit iis affectionibus quæ minimè in nobis ſitæ ſunt: quinetiam hæc mutuas ſibi operas præſtant potius, quàm alterum alteri perniciem afferat. Nam ſtante prouidentia neceſſe eſt vt nobis rationum

D. Ambr. Ser. 1. in Pſ. 118.

Legum, rationis cõſilij, & precum vſus, ex Prouidentia.

Auguſt. lib. 5. de ciuit. decem primis capitibus.

momenta, leges, preces, plurimum opis & adiumenti afferant. Sin tollatur, non tantùm illa nobis inutilia prorsus erunt, sed neque ab initio constare potuissent. Quapropter liberum nostrum arbitrium Prouidentiam secum adducit, & Prouidentia voluntatis & consilij libertatem. Nostra enim voluntas seu eligendi optio, iustum confirmat fatum: atque ipsum fatum corroborat etiam voluntariam nostram motionem. Quòd si eam puram & perpensam Deo obtulerimus, legibus obtemperantes, & precibus vtentes, consilijque prudentiam plurimi facientes, summa consequemur bona. Sin minùs, & his contraria fecerimus, pœnarum his rebus indictarum medicos & salutares dolores perferemus, non eo quo deceret modo, [& quasi præpostero ordine] aliter nos gerere discentes. Iam verò vt pulchrè & præclarè affecti simus, à peiore proposito perpurgati, maximum adiumentum afferunt, oratio, lex, consilium, aliáque eiusmodi quæ intelligentiam nostram in ordinem & concentum * diuino congruum affectui, adducunt. Non ergo eripitur liberum humanorum animorum arbitrium,

Liberi arbitrij cum Prouidentia connexio.

Alludit ad Prou. *Phryges sero sapiunt.*

* *συμφωνίαν θεοκρατῆ.*

Præterea abſque libertate illa, quînam integrum eſſet diſtribuere & reddere vnicuique pro merito & dignitate affectionum. Nam ad virtutem & vitium vel maximè, fatum Prouidentiæ annexum, libera & ſpontanea motione noſtra indiget: non enim alioqui iuſta erit hæc inæqualis diſtributio, niſi pro cauſa & argumento libertatē arbitrij noſtri ſumpſerit. Propterea enim natura etiam præſcriptum eſſe tempus quoddam vnicuique, vſque quo ſatis in ſe opis & virium ad conſiſtendum habere poſſit: eáque fatali ſumma confecta, vitam proferre vlterius nequeat. Prorſus verò omnes ad conceſſum conſtitutionis tempus peruenire nō poſſe, ob eos incurſus violentos qui foris adueniunt: cuiuſmodi antea diximus in nobis quidem ſtatuere Prouidentiam, in brutis autem animantibus temerè ac fortuitò contingere. Etenim minimè neceſſe videtur, vt hominum generi, ita ceteris animantibus rationis expertibus, ordinem mortis obſeruare propter animi dignitatem traditum: quoniam non ſimili modo atque nos in vitam proficiſcuntur. Nam iudicio bonorum geniorum pro

Tertul. lib. 2. aduerſus Marcionem.

Origenica & profana opinio, explosa à patribus Christianis.

merito anteactæ vitæ vnusquisque nostrum vitæ sortitur genus, in quo simul omnia comprehenduntur, gens, ciuitas, parens vterque, conceptionis tempus opportunum, istiusmodi corpus, fortunæ conuersiones variæ ac multiplices, vitæ congruentes, mortis ratio, opportunitas præscripta & constituta; atque horum omnium custos & autor genius extitit, quem quisque nactus est: quorum nulla particula cum brutis communicata cernitur. Enimuerò ea, quæ naturæ rationis compoti conueniunt, qua ex parte ratione vtitur, aliena planè sunt à natura rationis experte. Quare non æquum esset eadem Prouidentia honorari & conseruari ratione vtentia, & eius vsu carentia: Siquidem quod ratione & intelligentia caret, Dei, qui sola mente comprehenditur, imago non est. Omnis enim

Imago Dei in hominibus, nō belluis

» illius imago ratione prædita, & mentis
» particeps, itáque informata est, vt se ipsam
» cognoscere & opificem suum valeat. Pecudes igitur eam nactæ sunt Prouidentiam, cuius beneficio per speciem & partes conseruentur: Nos verò cura generi nostro conueniente non honorabimur,

nisi singulis bene prouisum fuerit: ita vt nihil incongruum & inconcinnum sit ei Prouidentiæ quæ ad nos spectat. Decet etiam eos qui à parente & effectore Deo ad præscriptum & præfinitum numerum subsistere debent, obsequentes ortus conditioni à Deo statutæ, separatim vnumquemque diuina perfrui Prouidentia. Neque enim Deus vnum tantum Animum est fabricatus, cuius partem aliquam, quisque nostrum, vt sors tulit, obtinuerit; vt in eum denuo refundatur. Sed singulos humanos animos certis finibus comprehensos, firmauit ac stabiliuit. Quapropter singulis adest Prouidentia, Iudicium, Iustitia, purgatio, ortus assignatio, vitæ sors conueniens, & interitus, non casu & fortuitò contingens, * & post obitum ad Orcum profectio, duce bono illo genio qui vitæ nostræ moderator est constitutus. Ac aliis quidem animantibus singulis, & voluntates nostræ, & mutuæ internecionis & deuorationis causæ necessariæ, atque omnis generis occursus & euentus varij, perniciē mortémque afferunt, ante congruentem naturæ solutionem, nulla nec ordinis

* *Idem tradit Iustinus Martyr q. 30. ad orthodox.*

Angeli qui custodes hominum sunt & comites, aut vtrumque comitátur Animum dico & corpus.

aut certe animum comitantur, post disce'lum eius à corpore, vsque ad tempus renouationis.

nec temporis habita ratione; quippe cùm nulla præsit ipsis Iustitia, quæ anteactæ vitæ rationem poscat; nec ipsa natura attendat, cur quídve nunc agant aut patiantur. In hominibus verò Prouidentiæ vincula & bonorum geniorum Iudiciũ, vitæ genera & sortes, veterúmque criminum expiationes, cæteráque eiusmodi & occasiones & modos interitus definiunt: Ita vt tam ea quæ voluntate & proposito perficiuntur, quàm ea quæ temerè & fortuitò contingere videntur, connexa sint cum vniuscuiusque fato, & dignitatis ac meriti fortunam compleãt. cùm præterita consequentibus connexionis causam præbeant, & libertate arbitrij ea quæ in nobis vtique sita non sunt alliciant: eo quòd humana studia & voluntates fati legibus dirigantur, quas summus opifex animis ipsis sanciuit. Atenim eorum quæ hîc geruntur rationem reddere nobis conuenit iis qui mediam sortem nacti sunt, & custodes, quasique præfecti & moderatores nostri sunt. Porrò eorũ omnis circa nos operatio atque efficientia, Fatum appellatur, quod Iustitiæ legibus res nostras regit atque administrat.

Libertas arbitrij.

Eadem tradit Cyrill. orat. de exitu animæ.

niſtrat. Quòd ſi cuſtodes ſunt vitæ ad meritum & dignitatem aſſignatæ ac definitæ: illi videlicet munus habent complendi & abſoluendi tempus vitæ quam quiſque fuerit ſortitus. Nam cùm præſcriptus ſit ortus, & mortem quoque pręſcriptam eſſe neceſſe eſt. Originis autem principium præſcribit Fatum ablegationis quæ inde fit, nempe diuina voluntas, & Iuſtitiæ Dei leges. Ita mortem quoque ſtatutam ſeruabit Fatum migrationis de loco in locum: quocirca definitum eſt etiam, per illa quidem in hanc vitam tranſire, per hæc verò è vita diſcedere. Etenim ſi indefinita eſſent illa, vita quoque omnis indefinita eſſet, & præſtãtioris prouinciæ, ſeu præfecturæ, exſors. Vbinã ergo aut in quibusnã erit amplius diuini Iudicij cura, & diſtributionis pro dignitate ſtudium, ſi ea quæ ad corpus & res exteras ſpectant, temere ac fortuitò nobis contingant? Neque enim ſanè hæc inordinata relinquemus, & Iuſtitiæ propoſita, Iudiciáque & appetitus à præſtantiori neceſſitate nobis ingigni aſſeuerabimus. Hoc enim certè pacto virtutis & vitij cauſam non nobis ipſis, ſed illi

potius necessitati tribueremus. Neque profectò rationi consentaneũ esset omnia ad eam Necessitatem quæ ab illis rebus procedit, referre, ea dico quæ ad animum pertinent, tum quæ ad corpus, tum quę ad externa referuntur: neque adeò omnia permittere temerariis & improbatis motionibus æquum fuerit, cùm mens omnium gubernatrix, & Deus vniuersorum autor & causa sit. Necesse est profectò quod relinquitur, studia quidem & voluntates in nobis sitas esse. Iustas autem vices & remunerationes, seu compensationes in voluntatibus, pendere ab æthereis & à Deo constitutis iudicibus, qui naturâ nostri curam & solicitudinem habent. Nam cùm tria sint ea quæ ad nos pertinent, & omnia necessitate astringi, & nihil omnino cogi, & modò cogi, modò non, aut quomodo oportet, æquè absurda sunt; ac proinde Prouidentiam omnem de medio tollunt. Enimuerò eius quod pro dignitate fit supPositio, omnino Prouidentiam secum inducit, & fatum quod ab ea pēdet, & Prouidentiæ annexum Iudicium, quod res humanas Iustitia & Lege moderatur,

Necessitatis restrictio.

Sita in nobis.

Prouidētiam tollentia, & inducentia.

libero arbitrio nostro, & voluntatis consiliique principio eget. Itaque Fatum constituendum est pars quædam Prouidentiæ totius: idque humanis animis iudiciali more congruit. Humanorum autem animorum operatio est voluntas seipsam mouens, & quod dicitur situm in nobis. Atque hæc probabilis ratio est, cur diuini Iudices, non æquam distributionem habeant. Quod autem fortuitum est, id totum mortalibus & rationis expertibus tribuitur generibus. Neque enim in vnoquoque sigillatim, neque pro dignitate & æstimatione ratione confirmata, ex igne isto extincto, hic aër oritur: ex hoc verò aëre denso, hæc aqua: neque verò ex his quidem segetibus equi causve corpus; ex istis autem quidpiam aliud, verùm omnia ex omnibus mutationibus ingruentibus nasci possunt propter materiæ communionem, & facilitatē ad conciliandа sibi omnia, quæ vsque eo ordinis & diuinæ necessitatis partem habent, vt quæque per genus conseruentur, & simul aspirent atque concurrant ad æternitatem perpetua successione, cum causis à quibus dependent & originem suam

Animi humani operatio.

Ortus & interitus ratio.

Materiæ vis.

trahunt. Non enim aduenit quicquam in illis quod ex ætherea plaga discessionem fecerit, vt diuino quoque iudicio instruatur ad reditum, provt in singulis hominibus vsuuenit: siquidem animos ratione præditos atque immortales necesse est inde profectos magnam curæ & salutis suæ rationem obtinere à cognatis, ad directionem & emendationẽ procliuitatis ad vitium. * Porrò affectionibus torquentur, atque electione vtuntur in ipsis affectibus: rursúsque eligunt, ac patiuntur turbantúrue ob rerum electarum dignitatem. Iccirco magna temeritas inest in brutis, & alienatio à diuino iudicio. In iis verò quæ ad nos spectant, quod iustum videtur, ad fati Prouidentiæ annexi ministerium refertur: ita vt nos casu & fortuitò pati videamur, non secus ac brutæ animantes, ídque ferre ac perpeti tum in corpore, tum in externis rebus, quod iudicium perspiciens ac moderans omnia statuerit. Atenim eorum quæ circa nos sunt intensione ac remissione, atque eorumdẽ omnis generis mutationibus, liberũ animi arbitrium instruitur ad bonum habitum: ac cele-

* Locus est mutilus in Gr.

riùs quidem, si leniter placidéque admiserit affectiones, quæ circa hæc contingunt: longis verò ac prolixis temporum interuallis, cùm stupidè, insanè ac stolidè in eiusmodi perturbationibus affectus fuerit. Nam tunc quidem certè enormitatis & contumaciæ pœnas luit: verùm nihilo secius ad id quod par est perducitur per ea quæ patitur. Cùm enim animus immunem habeat impetum in quauis secta, à præstantiori genere continuò donatur præfectura, iure, purgatione, pœna; quæ semper consequitur pro merito suarum affectionum. Atque eligendi quidem optio penes ipsam est: quæ verò electionibus superadueniunt, Prouidentiæ iudicio statuta sunt, quæ animi affectiones pro dignitate remunerat. Itaque eligere & sortiri eandem vitam dicimur. Etenim ea quæ nobis constituta est merces ob ea quæ à nobis gesta sunt & liberi arbitrij motum, & diuinam præfecturam patefacit, vt ab initio ad finem liberas nos habere motiones constet, atque alium magis minúsque quàm cæteri: quinetiam ipsi non simili modo semper, quod in nostra potestate



Remunerantur hominum merita.

situm est conseruamus: neque verò sine herili imperio remunerationes pro meritis adipiscimur; & fatum quod ad ea quæ hîc sunt nos adducit, indéque rursus deducit, nanciscimur. Ac nexus quidam est & concursus humanæ voluntatis & diuini iudicij vt quæ volumus eligamus, ob electionis libertatem nulli rei addictam; sæpe tamen, quæ nollemus, patiamur, propter ineuitabilem Prouidentiæ vim.

Interpretis Admonitio.

Reliqua ex hoc Hieroclis commentario in Epitome Græca desiderabantur: præter Epilogi ἀποσπασμάτιον, *seu Corollarium, quod tametsi parum huic argumento congruere videretur, religio tamen nobis fuit id prætermittere, cùm præsertim breue & scitu non indignum sit.*

APPENDIX.

IDEM sub finem Disputationis ait, animaduersione dignum esse, quòd Plato dum inter Philosophum, & Eroticum, siue Amatorem, discrimen constituit, docẽs quomodo pari honore & dignitate

præditi esse dicantur, in ea sententia sit, vt cum dicat sine dolo & fuco Philosophari, qui Contemplationem sine ciuili actione vel Reip. administratione amplexus est, cæteráque omnia nullo in pretio habet: ac per virtutes purgandi vim habentes seipsum tradidit ei vitæ degendæ rationi, quæ in sola perfectione sacra occupatur. Eroticus autem dicitur apud eundem, qui amorem puerilem cum Philosophia coniungit; hoc est, qui cum contemplationis intelligentia Rempublicam regit & moderatur.

AD LECTOREM.

In hac Interpretatione qualemcunque operam nostram, & coniecturas, æqui bonique consulito, Lector candide: & si quid ex huius opusculi lectione fructus ad animi notitiam iucundi perceperis, gratiam habeto: cæteroquin humanæ naturæ aberranti libenter ignoscito.

DEO LAVS SIT IN omne æuum.

EX D. IO. CHRYSOSTOMI
Serm. in Paralyt.

ANGELI omnes & Archangeli omnes, ſuperæ poteſtates, omnia denique viſibilia & inuiſibilia, Dei fruuntur Prouidentia: cuius ſi careant efficacia, abibunt, effluent, peribunt.

EX D. AVGVSTINI
Meditat. XXVIII.

SCIO & certus ſum, quòd vita noſtra non temerariis motibus agitur, ſed à te Domino Deo noſtro diſponitur & gubernatur. Vnde tibi cura eſt de omnibus, præcipuè de ſeruis tuis, qui totam ſpem ſuam poſuerunt in ſola miſericordia tua.



PHILONIS IVDAEI
LIBER SINGVLARIS,
QVARE QVORVMDAM
in Scripturis ſacris mutata ſint Nomina.

Ex Interpretatione FED. MORELLI PAR. *Profeſſoris & Interpretis Regij, cùm eiuſdem Notationibus, & Indice accurato.*

Opus nunc primùm Romana ciuitate donatum, in Sapientiæ ac Theologiæ ſtudioſorum gratiam.

AD S. D. N.

CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.



LVTETIÆ,
Apud FEDERICVM MORELLVM Typographum Regium.

M. M. XCIII.
D


SANCTISS. ET BEATISS. PATRI CLEMENTI VIII. PONT. MAX. IESV CHRISTI VICARIO. PRINCIPI VIGILANTISS. REIP. CHRISTIANAE. FIDELISS. VNIONIS CATHOLICÆ, APOSTOL. ATQ. ROMANÆ RELIGIONIS PROTECTORI ET CONSERVATORI. VNIVERSÆ ECCLESIÆ REGNIQVE CHRISTIANISSIMI PATRONO CONSTANTISS. ET BONORVM OMNIVM PARENTI BENIGNISS. CIVITAS PARISIENSIS GALLIAR. METROPOLIS, IN AETERNAM BENEFICIORVM A SANCTITATE IPSIVS ACCEPTORVM MEMORIAM, HOC PHILONIS HEBRAEI OPVS, LATINVM NVPER E GRAECO FACTVM, EDITVMQ. A CIVE SVO ET VTRIVSQ. LINGVAE PROFESS. DEDICABAT ET CONSECRABAT.

KAL. APRILIS.

ANNO SAL.

M. D. XCIII.





S. D. N. CLEMENTI OCTAVO PONT. MAX.

CVM *in plerisque veterum Patrum* Græcorum *scriptis Latinitate donandis operam collocauerim, in eóque etiamnunc ferè totus incumbam,* Pater *sanctißime atque optime;* Philonis Hebræi *(autoris grauißimi & facundißimi, ac* Beatorum Apostolorum *contemporanei)* Liber *hic dignus mihi visus est qui primus in lucem prodiret, &* S^ti^ V^æ^ *dicaretur.* Atque *id consilium meum maximopere confirmatum est autoritate, sententia & beneficentia clariß. virorum, qui* Nauis Parisiensis *clauum tenent,* Præfecti *videlicet* Mercatorum, *&* Ædilium; *qui pro sua prolixa & benefica natura, & in*

Doctrinæ ac Pietatis studiosos beneuolentia, Philonici huius opusculi Latinam interpretationem nostram, publicis impensis edendam, & in Arce S^tis V^æ *ponendam censuerunt; tum ob singularem ac verè Paternum Vestrum in hanc Vrbem eiúsque pios ciues affectum: tum his quoque de causis; partim quòd hoc scriptorum genere non parum illustrentur Eloquia sacra, quæ D. Basilius Magnus Thesaurum Ecclesiæ nuncupat; partim quòd Libri ipsius argumentum Sanctæ Sedi Apostolicæ faueat, quæ Nominum mutationem in Pontificum consecratione, vt mysterio non carentem, iam inde à Sergio* IIII. PONT. MAX. *instituit: idque Domini Deique nostri exemplo, qui* B. PETRO *in Apostolum electo, nouum nomen imposuit. Quod ad me attinet, hîc non ad arbitrium meum, sed ad formulam & præscriptum, fidi Interpretis more, sum loquutus.*


Sic vtinam exiguo quodcunque ex pectore riui
Fluxerit, id Patriæ seruiat atque Tibi.

DEVS OPT. MAX. *qui Piorum præmiator à Philone ipso prædicatur*, S^tem^ V^am^ *saluam & incolumem toti piorum Christianorum gregi quàm diutissimè conseruet.* Atque *hîc mihi*, Sanctiss. Pater, *tuos Apostolicos pedes, animo & cogitatione deosculari fas sit.* Ex *vrbe* Parisior. Kal. April. AN. S. M. D. XCIII.

Clementiss. S. V. obsequentiss. cliens & seruulus, atque humilis in S. Ecclesia filius, *Fed. Morellus Profess. Reg.*

IN PHILONIS COMMENTARIVM PONT. MAX. dicatum.

Perge Philo rectà Octaui CLEMENTIS *ad ædes*
Augustas; clari perge Philonis opus.
Vidisti quondam Romana in sede locatum
PETRVM, *imitatorem nunc Philo vise* [PETRI.



ANAGRAMMATISMVS PONT. MAX. VTRAQVE Lingua expressus, per Fed. Morellum Profess. Reg.

CLEMENS OCTAVVS.
ACVTVS. CELO MENS.

Senarij Iambici.

ACVTVS *ille cuius in* CELO *manet*
MENS: *Pontifex* OCTAVVS *vt*
CLEMENS *pius.*

Heroici de eodem.

Ter quater ô felix tanto sub Præsule Roma!
Præsul ACVTVS *is est*, CELO MENS
cuius adhæret.
MENS *tua Pontificum* CLEMENS
decus, inchoat alta;
Namque arcana Dei CELO *scrutaris*
ACVTVS.

ΚΛΗΜΗΣ ΟΓΔΟΟΣ.

ΚΛΗΔΟΣ ΜΗ ΓΟΟΣ.

Χριστιάδος ποίμνης ΚΛΗΔΟΣ περίφρακτος ὁ ΚΛΗΜΗΣ ΟΓΔΟΟΣ Ἀρχιερεὺς, ΜΗ ΓΟΟΣ ἐστί ποτε.

In Anagrammatismum Græcum, cuius sensus est, Præsidium non luctus.

Iambici, ad eundem PONT. MAX.

PASTORIS *est sepire oues tuto suas,*
Arcere ab illis & pericula omnia,
Hæc orsa tua sunt, Pontifex sanctissime;
Nam sepe munis Fidei ouile Deo sacrum,
Aduersus impiam Hæresim, quam destruis,
Omnique damno liberas gregem tuum.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Diuus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, inter Philonis Iudæi præclara, (vt eius verbis vtar) & innumerabilia opera recenset Librum vnum, hac inscriptione, *Quare quorundam in scripturis mutata sint* Nomina. Et verò hîc Philo suo more adeò *πλατωνίζει*, vt nemo *φιλοσείλων* ambigere iure possit an istud opus *γνήσιον* sit. sed, vt ait Terentianus, *Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.* Cæterum quia Autor hic, natione Alexandrinus, LXX. Virorum Interpretationem vbique amplexatur, quæ tamen interdum dissonat à Græca editione Rom. SIXTI V. licet accuratissima: ab ea ne latum quidem vnguem in contextu discedere volui, nec debui: sed veteris & vulgatæ translationis verba fere semper ad oram libri adiunxi. quod quia in hoc initio fortè prætermissum fuit, hic reponendam censui Periocham 1. cap. Gen. ex communi versione Latina.

Postquam [Abram] nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus *Deus omnipotens, &c.*



PHILONIS IVDÆI COMMENTARIVS, QVARE quorundam in Scripturis mutata sint nomina: Interprete FED. MORELLO PROF. REG.

PERVENERAT Abrahamus ad annum vitę nonagesimum nonum: & visus est Dominus Abrahamo, dixitq; ipsi, Ego sum Deus tuus. *Numerus nonagesimus nonus Centenarij vicinus est; cui genus† à semetipso edoctum affulsit, Isaacus videlicet, iucunditatum optima lætitia. natus enim est Patre iam centenario. Sunt etiam Primitiæ Sacerdotibus Leuiticæ tribus concessæ: Nam decimis acceptis, Leuitæ ab his, tanquam à proprijs fructibus, aliás offerunt, quæ Centenarij rationem continent. Etenim Denarius quidem progressus; Centenarius verò perfectionis nota est. Porrò*

Gen. 17.

* τὸ αὐτομαθές.

Isaaci allegoria.

Clem. Alex. l. 1. strom. & li. 1. Pæd. 4.

Primitiæ. Num. 18. Gen. 22. Neem. 10.

De num. denario & cent.

Cui Deus appareat. *Medius semper ad summitatem festinat, naturæ felicitate utens, cui apparuisse ait totius*

Gen.32. *Vniuersitatis Dominum. Verùm caue ne putes*

Corporis animiq. oculi. *corporeis oculis occursum fieri:(siquidem hi perspiciunt ea tantummodo, quæ sensum mouent; cuiusmodi res comparationem admittunt, & perniciem planè subeunt. quod autem diuinum est, neque comparationi neque interitui subiectum est.) Enimuerò animi oculus est qui diuinum percipit visum. Cæterùm quæ soli vident oculi cor-*

Arist.l.2. de An.c.7. *poris, ea lucis vtentes subsidio percipiunt, quæ quidem discrepat ab eo quod cernitur & à re quæ cernit: Sed quæ videt animus, ipsemet per se, sine alterius cuiusquam ministerio perspicit. nam quæ intelligentia percipiuntur ipsa sibi lucem inferunt. atque hoc modo scientias comprehendimus.*

Scientiarum perceptio. *Mentis enim acies quæ nunquam clauditur nec sopitur, conuersa ad percepta & decreta, animaduertit ea non falso, sed vero proprióque lumine, quod ab ipsamet eluxit. Quoties igitur audiueris Deum ab homine visum, hoc fieri cogita sine luce sensibili: siquidem par est intelligibile sola tantùm intelligentia percipi. Præterea fons purißimi*

Dei splendor. *splendoris Deus est: ita vt cùm animum illustrat, radios clarißimos nec tenuißimam vllam umbram suscipientes, excitet. Iam verò ne inducas in animum, quod est re vera, propriè & absolutè, ab vllo homine posse comprehendi: quandoquidem*

nihil in nobis ipsis habemus quo illius imaginem effingere & adumbrare possimus; nec sensum, sub quem certè non cadit, nec vim & facultatem. Quapropter Moses inaspectabilis naturæ spectator Deique inspector (aiunt enim oracula ipsum in caliginem ingressum fuisse: ita subobscurè inaspectabilem essentiam designantes) omnia per cuncta scrutatus, ter expetitum, solúmque perspicuè cernere quærebat. Et cùm nihil reperisset, ac ne formam quidem vllam quæ referret ea quæ sperabat; abiecta spe doctrinam eiusmodi percipiendi ab alijs, ad illud ipsum se recepit quod indagabat; atque hac vtitur precatione, Ostēde mihi teipsum, vt planè & apertè videam te. *Atque à proposito suo pariter excidit. cùm munus æquissimum, maximéque idoneum humano generi præstantißimo reputetur, Corporum simul & rerum scientia, quæ id quod verè est sequitur. Etenim dicitur;* Cernes posteriora mea: facies verò mea non videbitur à te. *quasi ea corpora simul & res quæ id quod est sequuntur, in cōprehensionem cadant, tametsi non omnia iam comprehendantur; cùm illud solum cerni natura non posit. Ecquid autem mirum est, si Quod est, ab hominibus percipi nequit? quandoquidem mens quæ in vnoquoque inest, incognita nobis est. Quis enim animi naturam nouit? cuius ignorantia sexcentas contentiones apud Sophistas excitauit;*

De Mose. Exo. 19. 24. D. Dionys. de mystica Theo. c. 1.

Mosis precatio. Exod. 33.

Corporū & rerum cognitio.

Cic 1. Tusc. Non valet tantum animus vt seipsum ipse videat: at vt

oculus, sic animus se se non videns alia cernit.

dum contrarias inducunt sententias ac totis generibus repugnantes. Vnde rationi consentaneum erat, ne ullum quidem proprium nomen prædicari posse de eo quod re vera est. Nónne vides quid dicat Prophetæ, studiosè veritatem ipsam percontanti, quidnã ipsius nomen inquirentibus respondendum esset; Ego sum qui sum: *perinde ac si dixisset, Natura mea est esse, non dici. Verùm, ne planè genus humanum priuaret appellatione eius quod optimum est, concedit Domini nomine quamuis impropriè uti; hoc modo; Dominus Deus trium naturarum, Doctrinæ, Sanctimoniæ, Exercitationis; quorum notas Abrahamus, Isaacus & Iacobus præ se ferunt.* Hoc enim, *inquit,* nomen æternum est, *quasi in hoc æuo nostro expensum, non in illo quod antecessit secula: & monimentum quod non ultra memoriam & intelligentiam fixum & erectum est: itémque quod ætatum successionibus conuenit, non naturis ortu carẽtibus. Nam usurpatione nominis diuini ijs opus est, qui ad pretio cõparatam generationem venerunt, ut si minus re, nomine saltem accedentes optimo, eo ipso exornentur. Indicat etiam oraculum ex persona editum Rectoris Vniuersitatis, nemini declaratum esse nomen ullum ipsius proprium:* Nomen meum * non indicaui ipsis. *Etenim mutata orationis figura, talis esset deinceps sermo: Nomen mihi proprium*

Doctrina, sanctimonia & exercitatio.
Exo. 3.

Memoriale in generationibus

Exo. 6.
* Adonai
Ioseph. l. 2. Arch. c. 5

non patefeci ipsis, sed id quod abusiuè tantùm vsurpatur: ob eas quas diximus causas. Adeò igitur arcanum est id quod verè est, vt ne Virtutes quidem eæ quæ subministrant ei, proprium nomen suum nobis referant. Quocirca post luctam quam pro virtutis acquisitione vir strenuus subierat, dixit inaspectabili magistro, Renuncia mihi nomen tuum. *Ille verò subiecit.* Eccur nam id rogas, nomen meum? *& non priuatum ac proprium declarat. Sufficit enim, inquit, meas institutiones & præceptiones adiumento esse. Verùm nomina, quæ sunt notæ rerum generatarum, ne quæras apud immortales Naturas. Ne igitur ambigas an quod antiquius est ijs rebus quæ sunt, ineffabile sit: Quandoquidem ipsius sermo nomine proprio non potest à nobis exprimi. porrò si ineffabile est, ne intelligentia quidem comprehenditur. Proinde illud* (Visus est Dominus Abrahamo) *ita dici subintelligendum est, non quia eluceret & emicaret Vniuersitatis autor, & effector: nam quæ mens humana magnitudinem apprehensionis* * *eiusmodi valeat percipere? Sed eò quòd vna è virtutibus, quæ ipsum circumdant, regia videlicet, præfulgeret. Etenim Domini appellatio, Regiæ dignitatis Imperatoriæque maiestatis est: Mens autem nostra, Chaldaica disciplina instructa, differens in mundo de rebus naturali-*

Gen. 32.

* φαντασίας

Regia Maiestas.

bus, & ijs quæ in sublimi fiunt, efficaces obequitabat potentias, tanquam causas: Sed simulatque Chaldaico instituto, quasi transfuga, migrauit, agnouit se euehi & gubernari à Rectore, cuius principatus visionem percepit. Ideoque dicitur, Visus est *(non is qui est) sed* Dominus. *quod idem valet atque,* Visus est Rex, *ex principatu quidem existens, sed animo nondum cognitus, qui quidem serus † studiorum fuit; verùm non planè indocilis perstitit, sed principatum in ijs quæ sunt, sibi effinxit & informauit. At cùm princeps ipse apparuit, maiore beneficio spectatorem affecit,* Ego sum, *inquiens,* Deus tuus. *Eccuius verò rei, dicere possem, ex omnibus istis, quæ ortum habuêre, Deus non existis? Sed docebit me sermo Intérpres ipsius, eum nunc verba non facere de Mundo, cuius opifex omninò Deus ipse est: verùm de humanis animis, quos non pari eadémque dignatus est cura. Æquum enim censet, vt improborum quidem dicatur Dominus & herus: Eorum autem qui in virtute & probitate progressus faciunt, Deus: sed perfectissimorum & absolutissimorum, vtrumque, hoc est, Dominus Deúsque simul. Quocirca cùm Pharaonem in summo impietatis cacumine statuisset, Dominum Deúmque ipsius numquam se nominauit, sed sapientem Mosem: Ait enim,* Ecce do te Deum

Gen. 15.

ὀψιμαθής

Occupatio. Animorum humanorum cura diuina pro ratione habituum, ex Plat.

Moses Deus Pharaonis.

Deut. 7.

Pharaoni. *Dominum porrò sæpe nuncupauit se eorum qui ab ipso vncti erant. Proinde canuntur hæc,* Ego Dominus: Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, quæ ego dico tibi. Esa.10. 21.28. Exo.6.

Et Moses Pharaonem alloquẽs: Cùm egressus vrbe fuero, *inquit*, expandam manus ad Dominum, & voces cessabunt, nec grando, nec pluuia erunt, vt noris Terram Domini esse: Ibid.9.

(*Terræ videlicet nomine omnem corpoream & terrenam coagmentationem comprehendens*) Et tu; (*hoc est, mens quæ corpus regit & insignit*) Et serui tui; (*id est, cogitationes & rationes vicissim stipantes, atque satellitum munere fungentes*) noui enim vos nondum formidare Dominum. *perinde ac si diceret; non eum qui sic vulgo vocatur, sed eum qui verè existit Herus. Dominus enim generatus ex rei veritate nullus est; tametsi ab extremis finibus ad extremas orbis terrarum partes Principatum suum produxerit: Sed is solus qui ortus initium nullum habet, verè Princeps est: Cuius Imperium qui veritus est, & cum stupore admiratus, vtilissimum admonitionis præmium refert: contemptorem verò miserandum vtique exitium manet. Nempe igitur stultorum Dominus comprobatus & confirmatus est, qui metum incussit principis proprium: Deus autem scribitur eorum qui in virtute proficiunt, vt hoc in loco,* Ego

Terræ nom.

Serui nostri qui sint.

Dominus verus.

Dei metus.

Deus quorum sit.

Gen. 35. Dominus Deus.

ſum Deus tuus. Ego Deus tuus: Creſce & multiplica. *Porrò vtrumque eſt perfectis, Dominus Deúſque ſimul; vt in x. Præceptis*, Ego

Ex. 20. Deut. 4.

Dominus Deus tuus. *& alibi*; Dominus Deus Patrum veſtrorum. *Etenim æquum*

Improbi conditio.

putat, vt improbus herili dominatui ſubiiciatur, vt cum verecundia & reuerentia gemitus edens, impendentem ſibi habeat Dominicum timorem.

Proficientis ſtatus.

Proficientem verò vult à Deo beneficijs affici, vt beneficentia adiutus perfectionem

Perfecti. D. Cypr. de ſing. Cler.

aſſequatur. Perfectum denique probat à Domino regi & à Deo beneficia accipere. Enimuerò hic immutabilis vſquequaque permanet.

Hoc Deo dignum, quod ipſe Deus voluntati ſuæ fatetur acceptum, vt exerat per omnia dominatum.

Ille autem omnino Dei vir eſt. atque hoc in Moſe potiſſimùm declaratur, his verbis; Hæc enim, *inquit*, benedictio eſt qua benedixit Moſes homo Dei. *O quàm præclara & ſacra remuneratione donatus eſt, qui diuinam prouidentiam ſibimetipſi retribuit? Verùm ne exiſtimes eodem modo hominem fieri, & hominem Dei.*

Deut. 32.

Etenim hominem exiſtere, tanquam Dei poſſeſſionem arguit: ſed hominem Dei euadere, quaſi emolumentum & honorem indicat.

Dei hereditas.

Quòd ſi velis Deum Mentis tuæ hereditatem tenere; vide vt prior fias hereditas Deo digna & idonea: ídque euades, ſi modò leges omnes manu exaratas & voluntarias effugeris. Atenim neque iſtud ignorare par eſt, quod hæc

verba

verba, Ego ſum Deus tuus, *dicuntur abuſiuè, non propriè. Nam Deus eſt qua ex parte eſt verè id quod eſt, non quomodo Id quod eſt ad ea refertur quæ cum aliquo conferuntur. Diuinum ſiquidem Numen ſe ipſo plenum eſt, ipſúmque ſibi ſufficit : idémque ſibi par ante Mundi ortum, & poſt Vniuerſitatis molitionem. Immobile namque atque immutabile eſt, nulla re altera planè indigens ; ita vt ipſius quidem ſint omnia ; ipſum verò propriè nullius exiſtat. Nonnullas tamen vires quas ad generationem extendit, ob ſalutem eius quod conſtitutum eſt, contigit ex Relatiuorum numero eſſe, qualis eſt facultas regia, vis benefica. Rex enim alicuius Rex eſt, & benefactor alicuius ; cùm alius ſit omnino qui regitur, & alius qui beneficio afficitur. harum cognata eſt vis effectrix, quæ Deus nominatur. Hac enim vi conſtituit omnia pater qui genuit & fabricatus eſt. Ita vt iſtud*, Ego ſum Deus tuus, *reſpondeat his verbis : Ego ſum effector & opifex. Maximum porrò donum eſt ipſum nanciſci Architectum, quem vniuerſus orbis nactus eſt. Improbi enim animum non effinxit : vitioſitas ſiquidem Deo inimica eſt. Medium verò animum non per ſe tantùm, vt ait ſanctiſſimus Moſes, quoniam ipſe honeſti turpiſque diſcrimen, ceræ inſtar, accepturus erat : Iccircò dicitur*, Faciamus

Diuini numinis perfectio.

Idem autor l. de Forit. & de cain. Cle. Alex. 2. ſtrom.

Relatiua. Rex, ciues. Beneфactor: beneficio affecti. Vis effectrix.

Architectus orbis.

Vitium Deo inimicum.

Hac Euágelica doctrina non conſonant.

Gen. 11

Meliùs D. Basil. Hom. x. hexaë. & Chrysost. de Prou.

hominem ad imaginem nostram: *vt, siquidem admitteret prauam effigiem, aliorum videretur opificium: sin autem pulchram, eius esse constaret, qui pulchrorum ac bonorum tantùm est artifex. quare studiosus omninò est is, cui dicit,* Ego sum Deus tuus, *quippe qui effectorem Deum solum sortitus est, absque aliorum ope ac ministerio. Præterea verò Decretum à se plerisque in locis stabilitum constituit, dum docet Deum eorum solùm qui boni & sapientes existunt, opificem esse. Hic autem sacer omnis cœtus seipsum possessione fraudauit, quæ ex copia acquiritur: quinetiam ea quæ carni chara sunt contempsit & pro nihilo habuit. Nam habitiores, validiores & bene colorati pugiles, corpore tanquam ministro, quasique vallo & munimine vtuntur: pallidi verò, tabidi, macilenti atque exangues quodammodo, qui disciplina, præter animi facultates, corporeas etiam vires nacti sunt: &, si verum fatendum est, in vnam quasi speciem animi soluti, corporis expertes mente euaserunt. Iure nimirum labefactatur & submergitur quod terrenum est, cùm mens tota Deo placere vsquequaque statuit. Rarum sane genus hominum, & quod vix reperitur: neque tamen eiusmodi est vt extare haud vnquam potuerit. Id verò declarat oraculum de Henocho redditũ, his verbis,* Placuit Henoch*

Studiosi effector Deus.

Quorum opifex sit Deus.

De religiosis Dei cultoribus.

Pugiles.

Mens Deo deuota nihil terreni habet.

Rari boni.

Gen. 5.

Deo, eique gratus & acceptus fuit: & non reperiebatur. *Vbi enim quis bonum istud indagans inueniat? quæ maria tranans, quas penetrans insulas, quas terrarum oras adiens; quasnam apud gentes barbaras aut Græcas? Annon etiam hodie nonnulli clari & nobiles in philosophia viri extant, qui Sapientiam nusquam in rerum natura existere censent, eo quòd ne sapiens quidem ipse vsquam reperiatur: quippe cùm nemo à prima hominum origine ad hodiernam vsque vitam omni ex parte reprehensionis expers fuerit existimatus. Ex eo enim genere esse quod fieri non potest, vt mortalis corporis vinculis alligatus, vsquequaque beatus euadat. Quæ quidem num rectè dicantur, suo loco & tempore videbimus. nunc verò oraculo assentientes asseremus, Sapientiam quidem in rerum natura existere, & Sapientem quoque eum esse qui illius amore capiatur: Qui tamen is verè sit, latet nos qui praui sumus. Bonum si quidem malo congredi non vult; ideóque dicitur,* Non inueniebantur mores Deo placentes & accepti. *Quod hi videlicet extare quidem possint, sed celentur, & concursum hominum atque conuersationem nostram refugiant. Proinde translatus esse affirmatur; hoc est ex hoc loco migrauisse, & quasi in coloniam missum deductúmque esse, immortalem nimirum vitam cum hac mortali*

Henoch ambulauit coram Deo, & non apparuit.

Sapientia inuentu difficilis.

Nemo sine vitijs nascitur.

Boni cum malo repugnant. Boni cur lateant.

Henochi translatio.

commutasse. Isti ergo diuino quodam furore correpti, asperiores agrestioresque sunt effecti. Alij verò mitiorem ac leniorem amplexati sunt sapientiam: atque ab his quidem certè Pietas eximiè colitur, nec humana tamen despiciuntur. Huic rei fidem faciunt oracula, in quibus dici-
Gen.17. *tur Abrahamo ex Dei persona*, Gratus & pla-
Ambula corā me. cens sis coram me: *hoc est, Non mihi tantùm, verùmetiam operibus meis, apud me iudicem,*
Officia pietatis. *quasi censorem & inspectorem. Atenim dum parentes colis, aut pauperum misereris, aut de amicis bene mereris, aut pugnas pro patria, aut causarum quæ ad omnes homines communiter spectant, curam suscipis, places dubio procul ijs qui benignitate tua fruuntur; atque adeò per-*
Oculus Dei peruigil. *places coram Deo; oculis enim nunquam sopitis cernit omnia; & virtuti congruentia, gratia singulari ad se vocat, eáque admittit. Enimuerò*
Iacob. Gen.48. *dum precatur vir pius hoc ipsum declarat:*
Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei. Deus, *inquit*, cui placuerunt Patres mei: *additque* (coram ipso:) *hoc enim vtrumque suppeditat: illud verò alterum tantum. Sic etiam Moses in exhortationibus suis admonet, cùm ait;* † Facies quod gratum & acceptum sit in
Deut 12. †Cùm feceris quod bonū est & placitū in c. D. conspectu Domini Dei tui: *hoc est, Ea præsta quæ mercantur conspici à Deo, & quæ cùm viderit, approbet. Istæc autem in similibus locum habere solent. Hinc exorsus, tentoriū duabus*

velaminum extremitatibus contexuit; medio vtrisque inserto integumento, vt exteriora ab interioribus distingueret. Itemque sacram legum conseruatricem Arcam auro intus & extra decoraui; magnóque Pontifici duas tradidit tunicas; vnam scilicet intimam ex lino; alteram extimam, variè acu pictam, cum toga talari. Tentorij velamina. Exo. 26. & 28. Arca, & Pontificis ornatus.

Etenim hæc, aliáque eiusmodi, notæ sunt animi qui in parte interiori Deo se purum castúmque exhibet; exterísque in rebus, quæ ad Mundum adspectabilem vitámque pertinent, integritatem ac puritatem colit. Opportunè igitur dictum est illud ad Palæstritam victorem, Triumphalium coronarum insignia mox gestaturum: Præconium enim de virtute ipsius, huiusmodi est, Puritas interior & exterior.

Vim ac potentiam cum Deo & cum hominibus obtinuisti. *Etenim apud vtrumque ordinem celebrem & clarum esse tam apud Deum, qui ortus expers est, quàm apud hominum genus, quod ortum habet, non exiguæ mentis est, sed eius potiùs, si verum dicendum est, quæ inter Mundum & Deum media sit.* Gen. 32. Si contra Deũ fortis fuisti, quanto magis cõtra homines præualebis? Luc. 2. Mens media inter Mundum & Deum.

Atque omninò congruit vrbanum & ciuilem, Dei comitem esse: siquidem sanè Vniuersitatis Rectori & Parenti cura est eius qui natus & conditus est. Nam quis ignorat Deum vel ante Mundi ortum, sibi ipsi sufficientem vim habuisse? Iam verò amicus post Mundi molitionem Prouidẽtia rerum humanarum.

Dei bonitas Mundanæ molitionis causa. Plato in Tim. D. Dionys. Hier. Cæl. c. 4. Gen. 17.

idem permansit, non immutatus. Cur igitur quæ non extabant faciebat? Quia bonitate nimirum & benignitate præstabat. Deinde nos serui Domini vestigia non insequemur, autorem quidem summa admiratione prosequentes; nostram verò ipsorum naturam non prorsus despicientes? Postea, cùm dixisset, Vide vt placeas, & gratus in conspectum meum prodeas; *addit etiam,* Esto irreprehensus & criminis expers: *seriem & consequutionem rerum adhibens. Aggredere ergo magis ac magis præclara, vt complaceas: sin minus, saltem à peccatis abstine, ne incurras in reprehensionem. qui enim rectè agit, laude dignus est, & qui neminem lædit, non est*

Probitatis præmium.

vituperandus. Et augustum certè præmium rectè se gerentibus proponitur, gratia apud Deum: Secundum verò præsto est non delinquentibus, reprehensionis fuga. quinetiam fortasse in mortali genere non aberrare, idem planè est eandémque vim habet atque bene agere. Ecquis enim

Iob. 14. Quis. n. mūdus erit à forde? at nemo: & si vnus dies sit Vita eius super terrā. Clem. Alexand. strom. 3. & 4.

est, *vt ait Iobus,* ab omni labe purus? tametsi vnius tantùm dieculæ eius vita sit. *Innumera quippe sunt quæ animum inquinant, eáque abstergere atque eluere omnino non est facile. Enimuerò mortali conditione nato remanent necessariò cognatæ maculæ, quas quidem minui & leniri fas est, penitus verò deleri nefas. quis igitur quærat in vita sordida & contaminata*

iustum, aut prudentem, aut sobrium, aut omnino bonum perfectum? Contentus esto si non iniquum aut non imprudentem, aut non incontinentem, aut non prauum atque ignauum repereris. Præclarum enim quiddam est vitia fugere & auersari; sed virtutum integra possessio ab homine nobis simili acquiri non potest. Congruenter itaque rationi dixit, Esto inculpatus, *magni ad vitæ felicitatem momenti esse reputans culpa & suspicione criminis carere. Ei porrò qui sic vitam instituerit suam, pollicetur se hereditatem tabulis Testamenti relicturum, qualem Deum quidem dare deceat, Sapientem verò adire. sic enim loquitur;* Constituam Pactum meum inter te & me. *Pacta autem ad vtilitatem scribuntur eorum qui munere digni sunt: vt sit gratiæ signũ, quod mediũ statuit Deus inter se, qui largitur, & hominem qui fruitur. Eximia porrò beneficentia est, quòd nullum aliud medium interiectum sit inter Deum & Animum, præter Gratiam virginem. Verùm de vniuersa Pactorum ratione duos conscripsi commentarios, ideóque ne eadem iterem, libens hoc prætereo, cùm alioqui nolim propositæ quæstionis continuationem suspendere & interrumpere. Subijcitur autem deinceps,* Incidit Abrahamus in faciem suam. *Numquid non ex diuinis promissis cogniturus erat seipsum, & mortalis generis inanitatem; & procidere apud*

Vitiorum fuga.

Ibid.

D. Io. Chrys. 2. or. in Iob.

Ibid.

Testamẽtorum seu Pactorum vsus L. 1. D. de trãs.

Gratia virgo

Autoris lib. 2. de Pactis.

Eus. H. E. l. 2. c. 28.

Gen. 17.

Cognitio suipsius.

ſtantem, vt opinionis eius ſpecimen ederet, quàm de ſe & de Deo habebat? Quòd nimirum Deus, in iiſdem perſtans, moueat vniuerſum ſtatum, non crurum opera (neque enim humana figura præditus eſt) ſed immotum atque incommutabilem apparentem: Homo autem numquam in eodem ferme collocatus, varias ſubinde mutationes admittat: ac ſublapſus infelix (tota enim vita ipſius lapſus eſt) graui ruina concidat. Verùm qui inuitus id agit, indocilis eſt; qui verò ſponte, docilis & agilis. icciro in faciem ſuam procidiſſe dicitur, hoc eſt, in ſenſus, in rationem, in mentem: tantùm non clamans ac vociferans, Cecidit quidem ſenſus, quippe qui per ſe ſentire non poſſet, niſi Prouidentia Salutis autoris excitaretur ad ſubiectorum corporum perceptionem. Cecidit etiam ratio, cùm nequeat quicquam eorum quæ ſunt explicare, niſi is qui comparauit & conſtruxit inſtrumentum vocale, aperuit os, & linguæ articulos effinxit, ſonos concinnè ac ſuauiter percuteret. Itémque Regina Mens concidit, perceptionibus ſuis orbata, niſi denuo excitatam Animantium fictor erigeret, & inditis illi oculis, aciéque pupillarum acutiſsima, adduceret eam ad rerum corporis expertium contemplationem. Miratus itaque eum qui hoc modo euaſerat, & ſpontaneo caſu lapſus erat, ob confeßionem quam de eo quod eſt enunciarat,

Autor, de Sacrific. Abel. Athan. Dial. 3. de S. Trin. Sozom. l. 8. c. 11.

Vita humana lapſus eſt.

Faciei allegoria.

De Senſu.

De Ratione.

De Mente.

vnum

Vnum scilicet esse re vera stans, cùm cetera post ipsum omnia conuersiones ac mutationes admittant; orationis & institutionis suæ participem facit, inculcans eius auribus, Et ego; ecce pactum meum tecum. *Quorum verborum mens est hæc; Formæ quidem pactorum sunt plurimæ, quæ gratiam & munera dignis conferunt: Verùm summum ac præstantißimum Pacti genus ipse ego sum. Nam cùm indicasset se (quantum fas est eum ostendi qui demonstrari nequit) tum cùm diceret*, Ego sum; *subijcit*, Ecce Testamentum meum. *Omnium gratiarum principium & fons ipse ego sum. Etenim Deus nonnullis beneficia per alios proponere solet, per Terram, aquam, aerem, Solem, Lunam, Cœlum, itémque per vires & facultates corporis expertes. quibusdam verò per semetipsum, dum sese hereditatem accipientium declarat, quos statim alia dignatus est appellatione. Dicitur enim*, Non vltrà vocabitur nomen tuum Abram; sed erit nomen tuum Abraham. *Sunt verò quidam rixarum & odiorum amãtes, quique irridere ac reprehendere semper cupidè student, quæ reprehensione carent, non magis in corporibus, quàm in rebus: & bellum irreconciliabile sacris indicunt; dum plæraque omnia quæ non videntur decorum & ornamentum habere & conseruare in oratione,*

Pia confessio.

Pactum seu Testamentum optimum Deus est.

Alia Dei beneficia per creatas res collata: & alia per se.

Nominis mutatio. Gen. 17.

In reprehensores temerarios & sacrorum munerum derisores.

Naturæ obscuritas. (*quoniam notæ sunt naturæ quæ latere semper vult*) *detrectantes & eleuantes, cum accurata indagine, traducunt; ac potißimùm Nominum mutationes. Atque haud ita pridem audiui impium & irrelligiosum quendam virum, qui cauillando, & conuiciosè deblatterando, auderet dicere;* Impij blasphemia. *Magna verò, ampla, & egregia sunt munera, quæ Moses asserit Vniuersitatis Rectorem præbere: huic vnius elementi* [A] *augmento & redundantia: Alteri rursus adiecta & geminata* [R] *litera, mirum quantum visus sit contulisse beneficium. siquidem Abrahami coniugem Saram, nuncupauit Sarram, bis R. vsurpans. hæc & eiusmodi alia contexens continenter, & amarè simul iocis, enarrabat.* Blasphemiæ pœna diuina. *Atque is certè dignas vesaniæ suæ pœnas non multo post luit.* Suspendij mors impura. *quandoquidem leui de causa ad restim redactus est, ne scelestus & impurus pura morte conficeretur. Ergo iure nos, ne quispiam alius eiusdem criminis reus fiat, suspiciones & notiones prauas exscinderemus, de natura commentantes, eáque demonstrantes quæ dicuntur hoc modo, omni studio atque attentione digna.* Beneficiorum Dei consideratio. *Non literas mutas, aut vocales, aut absolutè verba & nomina largitur Deus. quoniam cùm produxisset stirpes atque animantes,* Primus homo Dei iussu nomina rebus dedit. *eas ad hominem (tanquam ad ducem & rectorem, qui ab alijs obscientiam sciunctus erat) vocauit, vt singulis*

propria daret nomina. Omne enim, *inquit,* quod vocauit* Adam,ipſum eſt nomen ei⁹. *Ergo cùm integras nominum impoſitiones Deus vſurpare dignatus non ſit, eo negotio commiſſo viro ſapiēti, generis humani Antiſtiti: An æquū eſſet ſuſpicari, ipſum particulas nominum, aut ſyllabas, aut literulas, non vocales tantùm, ſed & mutas adiunxiſſe & adnexuiſſe? id certè factum dici non poteſt, muneris præſertim & ſingularis alicuius beneficij prætextu. Enimuerò iſtiuſmodi notæ ſunt facultatum, paucæ magnarum, ſenſibiles intelligibilium, perſpicuæ ignotarum. Porrò facultates in ſententijs præſtantiſsimis, in veris & caſtis opiniònibus, in animis melioribus expenduntur. Cuius rei argumentum & indicium accipere perfacile eſt, ſi initium duxerimus ab hoc cuius modò nomen eſt immutatum. Atenim Abram exponitur, pater ſublimis. Abraham autem, Pater electus ſoni. Qua verò in re hæc diſcrepent à ſe inuicem, clariùs tū cognoſcemus, ſi priùs vtriuſque interpretationis vim & notionem perceperimus. Quocirca Sublimem allegorico moralique ſenſu interpretantes, eum aſſerimus eſſe, qui ſe ipſum à terra in altum extollit, eáque obſeruat quæ in ſumma cæli regione ſunt, in eorúmque contemplatione ac diſputatione occupatur, tum ſcrutatur quæ ſit magnitudo Solis, quænam eius*

Gen. 2.
* Ad. Animæ viuentis.

Huc refer puncta & quieſcentes lit. Hebr.
Literarum in nominib. a Deo mutatis myſterium.

Nom. notatio, Abrā & Abraham.

Philoſophi Phyſici, ſeu Meteorologici ſubiectum.

Virg. 1. Geor.

conuersiones, quomodo anni tempestates suo ad nos accessu & recessu efficiat, æquali velocitate & reuolutione: Itémque de Lunæ illustrationibus, formæ varietatibus, senio, augmento, déque aliarum stellarum cursu & motu anquirit, tam earum quæ fixæ sunt, quàm errantium. Talium enim rerum inquisitio & inuestigatio, non rudis ac degeneris animi est, sed maximè ingenui ac docilis, & qui integros ac perfectos fœtus poßit edere. Iccirco Meteororum peritum Patrem dixit, quia non infœcũdus est Sapientiæ. Sic igitur notæ nominis Abrami accuratè expenduntur. Abrahami verò, eo quo mox subindicabimus modo: Hoc autem tria continebantur, Pater, electus, vocis. Quare dicimus vocem esse ore prolatam orationem, siquidem Animantis resonans Instrumentum est vocale. Atque huius parentem appellamus mentem: Nam à mente tanquam à fonte flumen orationis profunditur. Porrò electam orationem sapienti tribuimus: Quod enim præstãtißimum est, in hoc inest. Ergo prioribus quidem notis discendi studiosus, & de Meteoris differens, adumbratur: his verò posterioribus, Philosophus vel potius Sapiens declarabatur. Noli itaque suspicari Numen diuinum mutationem nominum impertiri, sed morum potiùs emendationem, per signa. Enimuerò eum qui priùs de natura Cœli exquirebat,

Cosmologiæ quæstiones. *Greg. Nyss. l. de infant. ante temp. raptis.*

Animi fœtus.

Vocis definitio.

Mens mater vocis.

Electa orat.

Sapientis notæ.

Morum emendatio.

(quem Mathematicum vocant nonnulli) ad virtutis participationem accersiuit, ac proinde sapientem reddidit & nuncupauit: mores reformatos hoc vocabulo exprimens, quod Hebraica quidem lingua, Abraham, sonat, Græca verò atque Latina interpretatione, Patrem electum vocis, innuit. Nam qua de causa, inquit, choreas, orbes & ambitus stellarum perquirens, tantum te à terra sursum ad cælum insiliendo extulisti? numquid vt sollicitè & curiosè quæ illic sunt tantummodo inspiceres? Ecquænam verò vtilitas ex eiusmodi curiositate exoriri poterat? Quæ voluptatis expurgatio? quæ cupiditatis cohibitio & coercitio? quæ doloris timorísve solutio? quæ affectionum, quibus animus perturbatur, excisio? Etenim veluti arborum vtilitas est nulla, nisi fructus producant; eodem planè modo Naturæ cognitionis vsus est nullus, nisi virtutis possessionem comparatura sit. Is enim est Physiologiæ fructus. Quocirca quidam è veteribus orationem & disputationem philosophicam agro similem esse voluerunt: ac stirpibus quidem Naturalem partem compararunt: sentibus autem & sepibus, eam quæ in differendo consistit: fructui verò Moralem: murorum septum & circuitum ad fructum conseruandum constructum esse à possessoribus existimantes; & stirpes à Natura fuisse productas

Astrologiæ finis.
Arist. de Mundo.

Physiologiæ fructus.
Philosophiæ cum agro similitudo.
Physica.
Dialect.
Ethica.
Idem, l. de Agric. Diog. Laër. in Zenone.
Cic. 1. de Leg.
Hæc omnia quasi sepimēto aliquo vallabit differendi ratione.

Moralis philos. præstantia.

fructus procreandi gratia. Sic itaque pronunciauerunt; & in Philosophia quoque, Naturalem & Logicam commentationem ad eam, quâ mores componuntur, esse referendam ab eo qui possessionem vsúmque virtutis expetat. Atque hæc sunt quæ edocti sumus de eo qui verbis quidẽ nomen permutauit: re ipsa verò traductus est à Naturali philosophia ad Moralem; & à contemplatione eorum quæ in mundo sunt, ad autoris & effectoris scientiam commigrauit, ex

Pietatis optima possessio.

qua Pietatem, possessionum omnium præstantissimam, sibi comparauit. Iam verò quæ ad

Nominis Saræ in Sarram mutatio, ciúsque expositio.

coniugem ipsius Sarram pertinent, nobis dicenda sunt, quoniam ipsius quoque nomen Saræ mutatũ est in Sarram, adiectione vnius elementi, [R.] Huiusmodi ergo sunt nomina: quæ verò obtigêre, sunt explicanda. Exponitur quidem Sara, Principatus meus. Sarrà autem, Princeps seu Domina. primum ergo, specialis virtutis indicium est: secundũ verò, generalis. quantum porrò genus à specie præstantia differt: tantum posterius nomen priore præstat. Etenim Species exi-

Species à Genere quid differat.

Prudentia particularis.

Opus Deo decorum.

guum quid, fragile & caducum est. Genus autem late patet; & immortale est. atqui Deus pro pusillis & fragilibus, magna & immortalia vult impertiri; ídque opus Numini decorum est valde. Prudentia quidem certè quæ in studioso inest, ipsius solius est principatus, atque haud aberraret

ea præditus si diceret; Principatus meus est prudentia in me sita. Verùm generalis Prudentia quæ illam format & effingit, non amplius huius aut illius, principatus, sed Imperium merum. Quapropter illa quæ specialis est, simul cum ea prædito perit; hæc verò quæ sigilli instar illam effingit, omnis est expers mortalitatis, & æterna in omne æuum permanebit. Sic etiam in artibus eæ quæ speciales sunt, vna cum artificibus dissipantur, cum Geometris, Grammaticis, Musicis. Generales autem, interitus exsortes consistunt. Rursus eadem propositione perspicuè ostendit, omnē virtutem Reginam, principem & ducem esse negotiorum quæ in vita geruntur. Accidit etiam vt Iacobi nomen mutaretur in Israelem. nec abs re. cur ita? Iacob quidem est qui impetit calcibus, supplantator. Israel verò vocatur, Deum videns. quare supplantatoris opus est, qui virtutem colit, affectionis bases, quibus insidet; & si quicquam firmum ac stabile in ipsis est, mouere, concutere ac diruere. Istud porrò non sine contentione & labore consueuit fieri: sed tum demum cùm quis prudentiæ certamina aggressus, animi exercitationibus exercet se, & cum aduersis ratiocinationibus quæ in ipsam mentem irruunt luctatur. Verùm Deum videntis proprium est, è sacro certamine non egredi, priusquàm retulerit coronam, sed ob adeptā victoriā

Prudentia generalis.

Artes speciales & generales.

Virtus Regina negotiorum.

Iacobus Israël.
Gen. 17.
Clem. Alex. Str. 2.
Fl. Ioseph. l. 1. Arch. c. 19.

Greg. Naz. or. 2. de Theol.

Israëlis, h. e. Deum videntis proprium.

præmia tollere. Quænam autem floridior aptiórve corona victori animo necti posset, quàm illa per quam ea quæ sunt, acutè videre valeat? Præclarum igitur animo virtuti operam danti præmium proponitur, vt oculatus fiat ad perspicuam eius perceptionem quod solum contemplatione dignum est. Par est autem in quæstionem vocare, Cur Abrahamus quidem, ex quo tempore nomen permutauit, hac eadem appellatione semper honoretur, nec amplius priori nomine nuncupetur: Iacobus verò cognominatus Israel, nihilominus ipse rursus Iacobus deinceps plerisq; in locis appelletur. Itaque dicendum est quod hæ sint notæ quibus virtus quæ doceri potest, differt ab ea quæ exercitatione comparatur. Nam qui doctrina melior factus est, felicem nactus naturam, quæ memoriæ adiuuantis beneficio, quod obliuione deleri nequit, sibi parat, eam solã ad vsum adhibet: quæ semel didicit mordicus tenens & firmè apprehendens. Virtutis autem cultor aßiduus, vbi vehementer se exercuerit, respirat ac paulatim remittit se, vt robur labore consumptum colligat & recuperet; eorum more qui corpora vnguentis illinunt: etenim hi exercitatione feßi, ne planè vires ipsos deficiant ob vehementem certaminis contentionem, oleo se perfundunt. Præterea qui edoctus est, immortali vsus monitore, commoditatem intus apud se

Corona Vincentis animi.

Quæstio de Abrahamo & Israële.

Virtus duplex, doctrina parta & exercitatione.

Vnctio Athletarũ.

manentem & immortalem retinet, nusquam mutatus. Qui autem virtutis exercitio gaudet, & sua tantum sponte ac voluntate ad agendum impellitur, in eóque se exercet, studiúmque & operam suam collocat, vt proprium suum affectum cum generato commutet; tametsi multo labore perfectionem assequutus fuerit, ad pristinum & antiquum genus se recipit. hic enim magis est laboris patiens; ille verò fortunatior existit. prior enim Doctoris alterius opera vtitur: alter ex seipso quærit & considerat, & indagat curiosè, summóque studio Naturæ scrutatur arcana, indesinente atque aßiduo labore suscepto & exantlato. Iccirco Deus immutabilis Abrahamo qui in eodem statu permansurus erat, nomen mutauit, vt quod stabile futurum erat ab eo qui firmus perstat, atque in ijsdem eodémque modo permanet, fixum tenaciter hæreret. Iacobo autem Angelus, Dei minister Sermo, aliud nomen indidit, vt in confesso sit & exploratum, nihil planè esse, ex ijs quæ sequuntur id quod reipsa est, immotæ firmæque stabilitatis causam, sed harmoniæ eius, quæ, velut in Musico instrumento, intensiones ac remißiones sonorum continet, ad artificiosam concentus temperationem. Verùm cùm tres sint Generis Autores; primi quidem Abrahamus & Iacobus nomen mutarunt. medius verò

Exercitatio virtutis spõtanea.

Gen. 17.

Iacobi nomen cur repetitũ post mutationẽ.

Gen. 32.

Clem. Alex. in Pæd.

Cur Isaaci nomē mutatum non sit.

Isaacus eandem semper obtinuit appellationem. Cur ita? Eò quòd virtus quæ doctrina & exercitatione comparatur, admittit ea quæ ad profectum & emendationem pertinent.

Discentis finis. Exercitationis meta.

nam is qui docetur, scientiam appetit eorum quæ ignorat. sed is qui vtitur exercitatione, coronas & præmia petit, quæ proponuntur animo laboris patienti & spectandi cupido.

A seipso docti perfectio.

Iam verò, à semetipso edoctum & institutum genus, quasi natura potiùs quàm studio & industria constans, æquale, par & perfectum ab initio inductum est, atque omnibus suis numeris absolutum.

Mutatio nom. Iosephi. Gen. 41. Autor de Iosepho. Iosephus l. 1. Antiq. 3. Bona externa quasi incrementum naturaliū. Greg. M. l. 1. in Iob vlt. c. *Ioseph, qui inter fratres, vsque in finē iustus perseuerasse describitur solus talarem tunicā habuisse perhibetur. nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata?*

Non idem Iosepho vsuenit, qui rebus corpori necessarijs præfectus fuit. Hic enim nomine mutato Psonthomphanech à gentis rege cognominatus est. Id autem quam rationem habeat, explicandum est. Ioseph exponitur Adiectio. Appendix enim rerum naturalium sunt ea quæ ad vestitum & cultum referuntur, aurum, argentum, possessiones, reditus, seruorum ministeria, ampla Gazæ & supellectilis, atque eiusmodi luxus, copia, & immensi atque innumeri rerum voluptatem adferentium apparatus: Quorum omnium suppeditatorem & curatorem Iosephum, recto nomine augmentum seu incretamentum appellari contigit; quoniam præfectura tunc ornatus est, cùm res externæ foris aduenirent, & adiungerentur ijs quæ à natura sunt

concessæ. Hoc ipsum verò testantur oracula quæ declarant Iosephum, conditis alimentis corporeæ regionis vniuersæ Aegypti, annonæ triticeæ præfectum fuisse. Talis sanè Iosephus è notis & insignibus denotatur. Iam qualisnam sit Psonthomphanech videamus. Exponitur ergo nomen istud, In Responso os iudicans. Stultus quippe omnis existimat pecunijs abundantem, exterńisque facultatibus affluentem, statim consultum & prudentem esse; idoneum quidem & acutum ad respondendum ijs quæ quis ab eo sciscitatur; aptum etiam ad vtiles per se sententias inducendas: atque vt summatim dicam, Prudentiam in re fortuita collocat, cùm contra fortuitum in Prudentia statuendum esset. Aequum enim est vt quod instabile est à stabili regatur. Et verò iuniorem ipsius fratrem germanum & vterinum, Pater quidem Beniaminum, mater autem doloris filium nuncupat, naturali rationi conuenientissimè. Etenim si Beniaminum exponas, est filius dierum. Dies porro Solari luce, quæ sub sensum cadit, illustratur. ei verò gloriam inanem comparamus: hæc siquidem splendorem quendam sensibilem habet in ijs laudibus quæ plerisque vilibus tribuuntur, in scriptis, decretis & senatus consultis, in statuarum atque imaginum erectarum honoribus, in purpuris & corollis aureis, in curribus atque quadrigis, &

Gen. 41.

Psonthomphanech, quid sibi velit. Fl. Ioseph. l. 2. Arch. c. 3.

Stulta de diuitibus opinio.

Fortunam a Prudentia pendere.

De Beniamini duplici appellatione. Ioseph. l. 1. Arch. col. 19

Inanis gloriæ mundanæ obiecta.

Insignia virtutis multi etiã sine virtute aliquati sunt. Cic. 3. ep. f. 13

turbæ comitatu. Horum igitur æmulator iure dictus est filius dierum.i. fulgoris sensum afficientis, & claritatis eius quæ in vana gloria cernitur. Hoc rectum profecto & proprium ei nomen imposuit pater, & senilis ratio.

Animi dolentis affectio. Ben oni.

Anima autem, quæ perpessa est, aliud ei quod passa fuerat congruens, indidit: Mœroris enim filium appellat. qua de causa? Quia ij quos inanis effert gloria, vulgo quidem existimantur beati; reapse autem sunt infelices. Sunt enim pleraque ipsis quasi aduerso flatu resistentia, liuor, inuidia, crebræ æmulationes, contentiones ad mortem vsque implacabiles, simultates & offensiones natis natorum quadam successione traditæ: hereditas quæ parari & acquiri nequit. Ergo necessario diuinorum eloquiorum autor in ipsis parturitionis doloribus occumbentem sic repræsentat, quasi vanam gloriam pareret. Mortua enim, *inquit*, est Rachel, partus ægritudine. *quoniam re vera gloriæ sensibilis & inanis semen ac procreatio, animi mors est. Quid verò? numquid Iosephi liberi Ephraim atque Manasses valde naturæ congruenter compararentur duobus Iacobi filijs natu maximis, Rubeno & Simeoni? Ait enim,* Duo liberi tui, nati in Ægypto, priusquam in eam regionem me conferrem, mei sunt. Ephraim & Manasses æque chari erunt mihi,

Ambitiosi infelices.

Vanæ gloriæ partus exitiosus.

Gen. 35. Cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit.

Gen. 48. Duo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequàm huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Symeon reputabuntur mihi.

atque Ruben & Symeo. *Spectemus ergo qui duo conueniant duobus. Ac Rubenus quidem bonæ indolis nota est: exponitur enim, Videns filius. Quoniam quisquis acumine mentis, bonáq; indole vtitur, est perspicax. Ephraïmus autem, vt sæpe aliàs diximus, Memoriæ signum est; quandoquidem exponitur, Fructus productio. Fructus verò animi præstantissimus est Memoria. porrò nulla res tam cognata est alteri, atque Memoria bonæ Naturæ. Rursus Symeo nomen est Doctrinæ & disciplinæ; siquidem explicatur, Exauditio: Proprium autem est eius qui discit, aurem accommodare, & attendere dictis. Verùm Manasses Recordationis nota est: sic enim appellatur, Ex obliuione. Ei verò qui ex obliuione foras progreditur contingit ex necessitate recordari. at qui Disciplinæ propria est Recordatio. Etenim sæpe effluunt discenti Theoremata seu Propositiones, cùm eas præ imbecillitate continere nequit; rursúsque de integro remeant: quare affectus effluxionis nominatur obliuio: refluxus verò, recordatio. Annon igitur aptè & concinnè, Indoli quidem bonæ Memoria, Disciplinæ verò Recordatio congruit? Et sanè quam rationem habet Symeo ad Rubenum, hoc nimirum est Disciplina ad Naturam: eandem quoque habet Manasses ad Ephraimum, id est, ad Memoriam Recordatio. Vt enim quod Indole*

De Rubeni etymolog. Autor l. de ebriet.

Ephraïmi notatio.

Memoria & bona natura.

De Symeone iterum.

Discentis officium. Phocyl.

Manasses, Recordationis nota.

Autor, l. de agricul.

Obliuionis origo & Recordationis.

Indoles & disciplina.

Aspectus Auditu præstantior. Autor, l. de exulib.

præstat, melius est eo quod discit: Siquidem illud aspectui simile est; hoc autem auditui. Auditus vero visui primas partes cedens, in secundis consistit. Ita quod Memoria valet, ei quod recordatur vbique antecellit; propterea quia Recordatio obliuioni mixta est: Memoria verò sincera & pura ab initio ad extremum permanet. Præterea socerum Principis Prophetarum, interdum Iothorem, interdum Raguelem nominant oracula. Ac Iothorem quidem, cùm fastus floret ac viget. Iothor enim Latinè translatus, est superfluus. fastus autem est superuacaneus in vita veraci, dum æqualia & necessaria vitæ risu excipit, & inæqualia magni facit in plus habendi cupiditate: idémque humana diuinis, mores legibus, profana sacris, mortalia immortabilibus, atque vt semel dicam, quod opinione tantùm constat, ei quod re vera est anteponit. Ille etiam maius quid aggressus, vltro sponteque sua transit in Consiliarij ordinem, suggerens sapienti non edocere ea quæ sola scitu digna sunt, Dei iussa & legem, verùm pacta tantum & conuenta hominum inter se, quæ vt plurimum societatis incongruæ & inconcinnæ causæ sunt. Vir autem summus in omnibus paret, cùm censeret consentaneum esse, paruis quidem parua, magnis verò magna iura constituere. Verùm sæpenumerò mutatus hic, qui

Nomina soceri Mosis. Iothor. Autor. l. de agricul. De Fastus natura & effectu.

Pacta humana.

Obedientia.

*Sapientiæ opinione † gaudebat, & à figuris * transiens (quas cæcus vtique moderari sortitus est) cum perquisierit armentum diuinum, pars sit ipsius non vituperanda, admiratus Naturæ ductorem, ipsiúsque regimen suspiciens, & peritiam administrandi, qua in suorum pecorum cura vtitur. Exponitur quippe Raguel, Pastoritia Dei ars. Summa quidem exposita est: probationes verò modo subiunget: ac primùm cultorem eum iudicij & iustitiæ inducit. Etenim appellatio Madian translata, Ex iudicio, vocatur: siquidem duplex istud est. Interdum enim significat diiudicationem & segregationem, quæ concertantibus in ijs certaminibus, quæ sacra dicuntur, vsuuenit: Nam sexcenti qui minus apti & idonei iam visi erant, à munerarijs discreti & reiecti sunt. Atque isti sunt qui sacris profanis Beelphegor initiati, & corporis meatus omnes dilatantes, ad excipiendas fluxiones foris influentes, (exponitur enim Beelphegor, Superius os cutis) demerserunt Mentem Reginam, & immiserunt in profundum altissimum, vnde nequeat enatare, ac ne tantillum quidem emergere. Idque perpessa est donec pacificus & facundus sacerdos Dei Phinees defensor spontaneus venit, qui naturali in improbos odio concitatus, & ardenti honestatis amore correptus erat: eique accidit, cùm hastile*

† ὁ δοκησίσοφος.
Exod.3.
Raguel.
Madian.
Agonothetarum mos.
Beelphegor Num.25. Deut.4. Psal.105. Clem.Alex. Strom. 2. Ioseph.l.4. Antiq. c. 6.
Phinees zelus. Num.25.
Greg.Naz. de am.paup.

flagrumve accepisset, hoc est, cùm acuta & subtili oratione vteretur, quæ indagare & inquirere singula posset, vt non deciperetur, sed

κενὸν θιά-λατον. Eurip. in Ore.

valido robore adhibito, affectum per vuluam transfigeret, ne vllum amplius malum ira Dei inuectum pareret. Aduersus istos etiam maximum à perspicaci hominum genere bellum suscipitur, in quo dimicantium nemo discors fuit, sed saluus & incolumis rediit, corollis & sertis triumphalibus redimitus. atque hæc vna est explanatio nominis Madianæ vrbis. Altera est præstantior & iuridicialis forma quæ per

* *Israelitico.* Allegoria de septem Madianitis filiab. 1. facultatibus animæ.

affinitatem & nuptias perspicaci generi copulatur. Sunt igitur, inquit, iudicij & iustitiæ septem filiæ, symbolicè, facultates eius animi partis quæ ratione caret, Satus, vox, & quinque sensus, quæ pascunt pecora parentis. Etenim*

Clem. Alex. l. 2. Stro.

per has septem facultates progressus & incrementa Parentis Intelligentiæ in perceptionibus innatis consistunt. Hæ porrò singulæ cùm ad obiecta propria peruenêre, aspectus nimirum ad colores & figuras, auditus ad voces, odoratus ad odores; gustatus ad sapores, itémque cætera ad sibi ipsis conuenientia: hauriunt nescio quo pacto quædam exteriùs sensum mouentia; donec animi canales & receptacula impleuerint; vnde greges parentis potant, purissimam intelligo Ratiocinationis Memoriam, quæ

securitatem

securitatem & ornatum in eodem præ se fert. Cùm autem aduenerint Liuoris & Inuidiæ socij, praui duces armenti, abstrahunt eas ab vsu qui secundum naturam est. Illæ siquidem quæ foris sunt intro agunt ad Intellectum, tanquam iudicem & regem quempiam, vt principe vtentes optimo rectè agant: alij verò è regione collocati persequuntur, & contraria iubent ac denuntiant; cùm liceat mentem pertrahere, & quæ sensibus patent tradere. abducenda, donec excitati fuerint mores studiosi qui tum quiescere videbantur, ac diuino spiritu afflatus nomine Moses protegat ac liberet illa ab occupantibus, poculentis sermonibus alens Parentis gregem. vbi verò insidias euaserint eorum, qui hostes quidem sunt cogitationis & intelligentiæ, sed aduentitia & ascititia, velut in Tragœdia, æmulantur, non amplius ad Iothorem, sed ad Raguelem accedunt. Nam cùm reliquissent cognationem cum fastu, vitæ legitimæ se addixerunt, ac petierunt pars armenti sacri fieri, cui diuinus præit sermo, vt nomen indicat. Pastoritia enim cura Dei est. Porrò dum proprio gregi inuigilat, statim crebra occurrũt bona animātibus morigeris & non contumacibus. Enimuerò canitur inter hymnos canticũ eiusmodi: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. *Iure ergò Intellect⁹ Pastore regio, diuino sermone vtens; sciscitabatur de*

Inuidiæ comites.

Mentis principatus.

Morum studiosorum exemplar Moses.

Accessus ad Raguelem.

Obtemperātiæ commoda.

Psal. 23.

Exod. 2. *septem filiabus*, Curnam tanta festinatione

Cur velocius venistis solito? Raguelis per contatio. contendẽtes hodie redijstis? *Cùm enim antea sensibilibus occurreretis, diu foris immorantes, vix tandem reuertebamini, delinitæ ab ipsis. Nunc autem nescio quid vobis acciderit, quòd*

Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum. *tam*properè præter morem redieritis. Dicent igitur, se non esse in causa cur velocißime, & cum magno impetu, spatium Diauli ad res sensibiles & à sensibilibus reflexum, percurrerint: sed eum potius hominem qui ipsas à feri armenti pastoribus liberauerat. (Vbi Mosem vocant Aegyptium, qui non Hebræus tantum*

Hebrea gens. Euseb. l. 2. Euang. præp. p. 306. Theod. q. 60. in Gen. *erat, verùm etiam è purißimo genere Hebræorum oriundus, quod solum sacris præest.) eò quod non possent naturam suam transcendere. Nam cùm sensus in confinio sint rerum intelligibilium ac sensibilium, satis est si alterutra expetant, & non à solis sensibilibus abducantur. summæ verò stultitiæ esset censere ipsas ijs solis quæ ad intelligentiam spectant, incumbere; cuius rei gratia vtraque statuunt: cùm per hominem ea quæ ratione percipiuntur denotent; per Aegyptium autem sensum mouentia repræsentent. His auditis, iterum percontabitur,* vbinam

Vbi est? quare dimisistis hominem? ille homo est? *quanam in parte eorum quæ ad vos pertinent, familiaris & domestica est forma ratione prædita? Quare ipsum tam facile deseruistis? Curnon potius, cùm semel in eum incidissetis,*

possessionem pulcherrimam, longéque vobis vtilissimam, detinuistis? Verùm si minus antè, nunc saltem ipsum aduocate, vt comedat, & educetur vestris ad virtutem progressibus, lautitijs & familiari cum eo consuetudine. Nam fortasse apud nos habitabit, & Sepphoram (volucre, à Deo inspiratum & vaticinum genus) ducet. Atque hæc quidem his de rebus hactenus. Verùm Ozee quoque nomen Moses in Iosua commutat, qualitate præditum in habitum refingens. Exponitur enim Ozee, Qualis iste. Iosua verò, Salus Domini, habitus præstantissimi nomen. Nam habitus ijs qui ipsis afficiuntur, meliores sunt, vt Musica Musico, & medicandi Ars Medico, itémque omni artifice, ars certa, tum æternitate, tum facultate & inoffensa summitate circa Theoremata seu Proposita. Habitus enim est æternum quiddam, efficax, absolutum: sed habitu præditus, mortalis, patiens, imperfectus. Præstat autem rei mortali quod immortale est, & id quod agit, patienti, & absolutum inchoato. Itáque suprà dicti Numisma reformatum est in meliorem Ideam seu formam. Quinetiam Chaleb ipse totus permutatur.* Etenim factus est, *inquit,* spiritus alius in ipso; *tanquam ratione & Mente in summam perfectionem trásmutata. Nam Chaleb interpretatio est, Totum cor. Hoc verò indicium*

Vocare eũ vt comedat panem.

Sepphoræ notatio.

* τὸ θεοφόρητον ϗ προφητικόν.

Num. 13. Osee. Iosua, seu Iesus.

Euseb. l. 4. c. 17. Dem. p. 127.

Habituum præstantia.

Nomen vt numisma.

Num. 14. Chaleb.

Seruum meum Chaleb, qui plenus alio spiritu, sequutus est me.

est, Animum non alteram in partem vergendo ac propendendo, sed totum omninóq; commutatum esse in id quod probum est; cùm etiam, si quid minus laudabile fuerit, id vi orationis de pœnitentia susceptæ migrare fecerit. Atenim cùm reips. sordida absterisisset atque eluisset, prudentiæ lauacris vsus, adhibito etiam purgante medicamento, futurum erat vt nitidus ac splendidus euaderet.

Sermones de Pœnitentia.

Prudentiæ lauacrum.

Iam verò Prophetarum principi variæ contigerunt appellationes. Nam quando oracula à Deo edita interpretans: enarrat, Moses nuncupatur. quando autem precando benedicit populo, Vir Dei. Tum verò cum Aegyptus impie actorũ pœnas luit, Pharaonis regiõis principis Deus vocatur. Cur ita? Quia leges describere ad eorum qui illas cognoscent vtilitatem, eius est qui semper contrectet & in manibus habeat diuina mandata, & qui accersitus fuerit à vaticinante Legislatore; & magnum ab eo munus acceperit, Interpretationem scilicet, vaticiniũ & promulgationem legum sacrarum. Moses enim translatus [ex Hebræo] nominatur Sumptio: quinetiam Contrectatio dici potest, ob eas quas diximus causas. Porrò precari & benedicere, cuiusuis non est, sed eius qui cognationem cum re generata nõ adspiciat, & semetipsum in hereditatem aßignauerit omnium principi parentique Deo. Præclarum namque est, si cui contingit cautè

Mosis appellationes variæ. Deut. 33.

Exod. 7.

Legislatoris dotes.

Mosis notatio duplex

1. Paral. 8. Ioseph. l. 2. Arch. c. 5. p. 50. Clem. Alex. Strom. 1. p. 129.

Benedicentis munus.

& considerate res suas agere: Verùm alijs etiam bonum comparare; hoc præstantioris perfectiorísque animi propositum est, eiúsque qui re vera diuinitatis alicuius sit particeps: quam qui nactus est, iure Deus vocabitur: itémque Deus hic idem, tanquam re ipsa sapiens: ideóque imperat omni stulto, tametsi regijs innitatur sceptris, atque ob hanc ipsam causam præcipuè magnos spiritus ducit. Enimuerò statuit vniuersitatis Rector, licet nonnulli puniendi coercendíque sint ob intolerabilia delicta, deprecatores habere, qui intercedant pro ipsis, quíque Patris sui vim propitiam imitantes moderatius benigniúsque supplicijs vtantur: Dei verò vtique proprium est benefacere. Quoniam ergo de Nominum mutatione & translatione abunde diximus, ad reliqua instituti nostri capita nos conuertamus. Sequitur statim natiuitas Isaaci. Cùm enim vocasset matrem ipsius Sarram, pro Sara, ait Abrahamo, Dabo tibi filium. *Verùm vnumquodque sigillatim nobis expendendum est. Is igitur qui propriè quidpiam donat, omninò aliquid sibi proprium dat. Quòd si maximè veritati consentaneũ est, esto Isaacus, non homo, sed risus, qui eodem nomine vocatur, quo suauitatum optima, Lætitia videlicet, insitus in mente & ratione Filius Dei; qui concedit se ad delicias, & gaudium ac tranquillitatem*

Cautio sui & aliorum.

Dei nomine dignus.

Deprecatores clementiæ.

Dei propria n.

Transitio ad alteram lib. partem.

Isaaci ortus.

L. 1. D. de Donat.

Isaac typus Christi.

animis pacis studiosissimus. Absurdum siquidem fuerit alterum virum esse, ex altero verò spurios atq; illegitimos liberos suscipere. Ac sanè virum virtutem amantis Intelligentiæ Moses describit, dum ait, Cùm vidisset Dominus, Liam odio haberi, aperuit vuluam ipsius. *Etenim cum deploraret ac misericordia prosequeretur virtutem à mortali hominũ genere, in odio habitam, itémque studiosi animum, sterilem quidem facit honestatis cupidam naturam: aperit verò referátque fontem fœcunditatis, felicem partum ipsi largitus. Thamar verò grauida facta diuinorum seminum, satorem quidem non vidit; (dicitur enim tum obtegisse faciem suam, vt cùm Moses obuertit se, Deum videre reueritus) perspectis verò signis & testimonijs, & re apud se iudicata, quòd mortalis ea minimè largiatur, vociferata est*, Cuius hæc sunt? ex eo nimirum concepi vterúmque gero. *Cuius est hic annulus? fides, vniuersitatis sigillum, Idea formáve exemplaris, qua omnia informia & qualitatis expertia signata informatáque sunt? Cuius item est hæc armilla, hoc ornamentum, ordo fatalis, consequentia & proportio vniuersorum, seriem continens indissolubilem? cuius porrò est hæc virga? res adeò stabilis, inconcussa, atque immutabilis: hæc animaduersio, coërcitio & castigatio? hæc*

Vir intellig. • φιλαρέτου Gen.29. Mor. Virtutem incolumen ôdimus. • ὁ λόχαλον Sterilis partus. Thamar conceptus. Gen.38. Exod.3. Gen. ibid. Annuli Symbola. Armillæ. Virga & eius notæ.

disciplina, hoc sceptrum, hoc regnum cuius est? Nónne solius Dei? Quocirca Iudas mores confitentis referens, eius fœminæ affatu atque inspiratione diuina delectatus, cum maiore fiducia ait, Ius obtinuit; ob eámque causam mortali nemini ipsam tradidi. *impium censens diuina prophanis contaminare. Indicat etiam Prudentia, quæ matris more concepit & edidit Genus per se edoctum, Deum ipsius satorem fuisse. Cum enim partus editus fuisset, ita se iactando prædicat,* Risum fecit mihi Dominus. *perinde ac si dixisset: Isaacum effinxit, molitus est, procreauit. quia idem erat Isaacus ac Risus. Verùm non est cuiusuis audire hanc auscultationem, cùm Superstitionis malum latè serpat apud nos, & effeminatos ignobiléśque animos pæne obruat. Iccirco adijcit,* Quisquis enim id audiuerit, mihi* congratulabitur. *tanquam pauci admodum sint qui aures patentes atque arrectas habeant ad sacros sermones excipiendos, qui nempe docent solius Dei propriũ esse munus serere & procreare quæ pulchra & honesta sunt; ad quos alij omnes obsurduere. Præterea memini ore Prophetico oraculum illustre atque eximium vaticinatum fuisse, eiuscemodi:* Ex me fructus tuus inuenietur. quis sapiens; & intelliget hæc? quis prudens, & percipiet hæc? *Eum porrò qui resonare*

Iudas confitentis specimen.

Clem. Alex. l. Strom. 1. p. 100. & l. 7. p. 327.

Iustior me est, quia nõ tradidi eam Sela filio meo.

Iterum de Isaaco.

Gen. 21.

Superstitio.

* Corridebit mihi.

Paucitas Pietatis auscultatorũ.

Os. 14.

facit & compellit inaspectabile vocis instrumentum eo modo qui videri nequit, animaduerti, & admiratione stuporéque sum affectus,
Dei fructus. *ob id etiam quod dictum est. Si quid enim boni est in iis quæ sunt; vel vniuersum etiam Cælum & Mundus, (si verum dicendum est) Dei fructus est, æterna semperque florente natura, velut arbore quadam, comprehensus. Prudentûm vero sapientúmque virorum est hæc cognoscere; iisque assentiri, non ignobilium. Quid*
Gen. 17. *ergò sibi velit,* Dabo tibi. *expositum est. quid autem significet,* Ex ipsa; *aperiendum est. Id vero nonnulli ita acceperunt ac si illis verbis significaretur, quod ipsi censebant, optimè scilicet iudicatum esse à recta ratione, Animum nullam ipsius propriam pulchritudinem indicare, sed aduentitiam, ex summa iudicii mentísque altitudine Dei, qui gratiarum imbrem*
Sic accipitur τὸ ἐξ αὐτῆς Actor. c. 23. *effundit. Alii intelligunt, promptam celeritatem; quòd idem valeat, Ex ipsa; atque subitò, repentè, è vestigio, nulla interposita*
Beneficia Dei prompta. *mora, sine cunctatione. Hoc verò modo diuinæ beneficentiæ contingere solent, & temporum interualla anteuertunt. Sunt etiam alii qui asserũt Virtutem matrem esse eius boni quod generatum*
Gen. 11. & 18 *est, quæ satum à nullo mortali acceperit. Et ad eos qui percontantur an sterilis pariat (cùm enim Sarram olim sterilem inducerent oracula,*

eadem nunc matrem fore fatentur) hoc dandum est responsum, quòd mulier quidem sterilis parere non soleat vt nec cæcus cernere, nec surdus audire: Animus autem sterilis ad mala factus, nec immoderata desideria vitiáque producens, solus fermè fœcunditate ac felicitate prolis fruitur, amore digna pariendo, Numerum, videlicet, Septenarium: iuxta canticum ab Anna, (gratia) recitatum, dum canit, Sterilis peperit septem; & quæ multa erat, atque abundans liberis, euasit infirma. *Vocat porrò multam quidem cogitationem eam, quæ ex promiscuis & turbidis rationibus simul collatis, constat; quæq; ob turbarum ac tumultuum, quibus comitatur, multitudinem, intolerabilia procreat mala. Sterilem verò dicit eam, quæ non admisit mortalem, ad satum prolificum, verùm improborum cœtus & consortia consumpsit ac profligauit; proindéque à Septenario comprehenditur, qui etiam maximè iuxta ipsam pacificus est: Eo siquidem grauida esse vult, ciúsque mater prædicari. Tale quid innuebat istud,* Ex ipsa. *Iam verò tertium, quod* Filius *dicebatur, perpendamus. Primum quidem igitur admiratione dignum est, quòd se non multos liberos daturum dicat, vnum autem tantum filium se concessurum. Cur ita verò? Quia scilicet quod pulchrum & honestum est, non tam copia, quàm vi &*

Animus in sterilitate fertilis.

Septenarius

Autor l. de Ebr. p. 176.

Sam. 2.

Donec sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est.

Cogitatio fœcunda.

Autor l. de Ioseph. p. 361.

Plut. Sympos. l. 4. c. 2.

Sterilis.

Filius.

Gen. 17.

Pulchrum facultate, non copia.

facultate explorari solet. Etenim Musica fortè præditum, Grammatica, atque Geometria imbutum, exiſtit: Itémque iuſta, prudentia, fortia & moderata ac temperata ſunt quàm plurima. Verùm, ipſum Muſicum, Grammaticum, Geometricum, atque etiam iuſtum, temperans, prudens & forte, Vnum eſt tantummodo extimum, nihil à principe Idea, ſeu forma exemplari, differens. Vnde plurima atque innumera illa ſunt effecta. atque hæc hactenus de eo quod Vnum tantum ſe traditurum aſſerat.

Vnus filius. *Nunc porrò filium dixit, non temerè atque inconſideratè, Verùm Vt exploratum faciat eum non extraneum, neque ſuppoſititium, neque adoptiuum, neque ſpurium, ſed legitimum atque Vrbanum exiſtere: quandoquidem re Vera*

Animi vrbani fœtus. *Vrbani fœtus animi extraneus non eſt. Nam à partus natura gnatus dictus eſt, [Vt Græcis τέκνον à dictione τόκος,] ad exprimendam illam cognationem naturalem qua coniunguntur nati parentibus à quibus procreati ſunt. Addit præter*

Gen. 17. Et benedicam ei, &c. eritque in nationes. *ea:* Benedicam ipſam, eritque in gentes: *Nimirum quia non ſolùm Virtus Vniuerſa in extremas ſuas formas & indiuidua formis ſubiecta, tanquam in gentes, diuiditur: Sed eò*

Vniuerſalis virtus. Cic. 1. off. honeſtas. Philop. 35. alleg. *quòd Vſu quoque Veniat, Vt animalium, ſic rerum etiam gentes eſſe quodammodo, quibus Valde conducit Virtutem adhærere. Quæ enim*

vacua & destituta sunt prudentia, damnum & perniciem afferunt: vt necessariò tenebricosa sunt, quæ non illustrantur à Sole. Virtute enim præditus agricola melius stirpium reique rusticæ curam gerit. Virtute etiam fretus auriga, currum in hippodromo inoffensum trahit. Virtute item gubernator clauum tenens, nauiculam secunda nauigatione dirigit ac moderatur. Virtus efficit vt domus, vrbes & regiones melius incolantur, dum homines rei familiari attentos, ciuiles & sociabiles reddit. Eadem virtus leges induxit optimas, & vbique pacis semina coniecit. quandoquidem ex habitu contrario nasci & confici solent his quoque contraria, bellum, legum perturbatio & violatio, prauæ administrationes publicæ, confusiones, infaustæ nauigationes, rerum mutationes, qui in scientijs capitalis morbus est: versutia, ex qua artium loco promanarunt artificia praua * & inania. Igitur necessariò ad gentes virtus se conferet; nempe ad animantium simul & negotiorum magnos & confertos cœtus, & conuentus, in eorum qui eam excipiunt commodum & vtilitatem. Dicitur autem mox, quòd Reges gentium orientur ex ea: Omnes enim quos concipit & parit, Principes sunt, non sortè ducti, re instabili, & suffragio hominum, vt plurimum mercede adductorum, ad breue tempus electi: sed ab

Prudentiæ vtilitas. D. Aug l. 1. de mor. Ec. Cath.

Virtutis effectus in singulis rebus & personis.

Vitij effectus.

* κακοτεχνίαι.

Gen. 17. Reges populorum orientur ex eo.

Principum electio, & successio.

ipsa Natura in perpetuum constitui. Hic verò sermo non meus est, sed sanctissimorum oraculorũ in quibus inducuntur quidã aientes Abrahamo, Rex à Deo es tu in nobis. *cùm non expendissent * facultates (nam quæ aderant viro extorri ac ne vrbem quidem incolenti, sed per vastam, desertam & inuiam viam oberranti?) verùm cùm habitum in mente regium perspexissent: adeò vt secundum Mosem profiterentur, solum sapientem esse Regem. Etenim re vera prudens Dux imprudentium est, cùm nouerit quæ agenda sint, quæque non. Temperans item, intemperantium, cùm non negligenter examinauerit quæ ad rerum optionem & deuitationem spectant. Fortis porrò ignauorum, quia didicit clarè quæ toleranda sint & quæ minimè. Iustus etiam iniustorum, æquitatem integram & incorruptam sibi in suo cuique tribuendo proponens. Pius denique impiorum, in optimis de Deo opinionibus ac sententijs occupatus. Atqui par fuit mentem quæ eiusmodi pollicitis intumuerat, sublimem attolli: Ea nihilominus, ad reprehensionem nostrûm, qui vel in minimis solemus fastuose ceruicem erigere, procidit, statímque ridet animi risum; vultu quidem ad tristitiam composito; ridens autem intelligentia, cùm magna, valdéque pura intus afficeretur lætitia. porro vtrumq; eodem tempore contingit sapienti, qui potioribus*

Ibid. 23. Princeps Dei es apud nos.

* τὰς ὕλας

Solus Sapiés Rex.

Inductio.

Fastus humani reprehensio.

ſe bonis ſuccedit, ridere atque procedere. atque hoc quidem, vt fidem faciat ſe non efferri nec inſoleſcere ob inanitatis mortalis condemnationem. Illud autem, ad Pietatis confirmationem, eò quòd ſolum Deum gratiarum & bonorum autorem cenſeat. Sanè verò cadat res creata, & mœſtitiam præ ſe ferat naturaliter; quandoquidem inſtabilis & ſolubilis ex ſeipſa eſt. erigatur autem à Deo, & rideat: hic enim ſolus firmamentum & gaudium ipſius eſt. Iure tamen quis addubitet quî vſuueniat ridere quempiam, tum cùm nondum riſus ad ortum, qui ſit in diem, veniſſet. Eſt enim Iſaac riſus, qui nondum natus eſt ſecundum iſtam conſiderationem. Quemadmodum videre nemo poteſt ſine oculis, neque audire abſque auribus, neque abſque naribus odorari, neque etiam alijs ſenſibus vti ſine inſtrumentorum propriorum miniſterio: nec denique ſine ratione & argumentatione, percipere: Sic neque ridere quemquam probabile erat, niſi iam riſus effectus eſſet. Quid ergo dicere par eſt? Pleraque eorum quæ futura ſunt, natura ſignis quibuſdam prænunciat. Annon auiculam vides, quæ prius quàm per aërem ſe fundat alas concutere pedibúſque exſilire ſolet, ita ſpem quam habet ſe mox volare poſſe prædicendo? Numquid agnum, aut hœdum, aut bouem adhuc tenerum vidiſti, cui nondum enata ſint cornua, ſi fortè

Modeſtia. Pietas. Creaturæ fragilitas & erectio. Obiectio. Reſponſio. Naturæ ſigna præ-nuncia.

irritetur à quopiam, ire contrà illis partibus incitatum ad vindictam, vnde ipsi natura arma quibus defendat & vlciscatur se, ministrat & suppeditat. In ferarum quidem certè certaminibus non statim tauri sibi oppositos perforant, sed glomerato gressu procedentes, & ceruicem mediocriter inflectentes, altero cornu inclinato, ac taurino verè intuitu conspicientes, tum demum inuadunt opus aggressuri. Cuiusmodi præludium Græci nouorum vocabulorum fictores ἔρυσιν *appellarunt, quasi impetum quendam præeuntem. Simile porro quiddam animus plerumque patitur: nam ob speratum bonum, gaudium præcipit, vt lætitia quodammodo lætitiam antegrediatur, & delectatio hilaritatem præcurrat. Quod etiam comparare quis posset ei rei quæ stirpibus accidere solet. Quæcunque enim oriuntur è terra, cùm fructus producere parant, priùs pullulant, & flores ac gramina proferunt. Vitem excultam aspice, vt mirificè sit à natura ornata sarmentis, adminiculis, propaginibus & pampinis vinosis, quæ tametsi vocem nullam edant, arboris tamen lætitiam ob fructum aduenientem indicant. quinetiam dies* ipse præridet diluculo, antequam Sol oriatur. Splendor enim splendoris *nuncius est, & lux obscurior lumen clarius anteuertit. Itaque bono iam venienti, comes adest lætitia: expectato verò*

Præludia certaminum in belluis.

Primordia animi affectionum.

Stirpium ortus & flores: & prata ridentia.

Vitis gemmantis descriptio.

* Heliod. in Æth. l. 1. ἡμέρας ἄρτι διαγελώσης. Die recèns arridente.

* *Emendo,* αὐγῆς.

ſpes. ſiquidem lætamur cùm aduenit: ſperamus autem cùm inſtat. ſicut in contrarijs etiam contingere ſolet. Etenim mali præſentia dolorem; expectatio verò metum gignit. Metus ergo nihil aliud erat quàm triſtitia ante triſtitiam; vt ſpes gaudium præ gaudio. quam enim opinor rationem habet metus ad dolorem, eandem ſpes ad gaudium. Signa porro manifeſta eius quod dicitur, ſenſus exhibent. Nam odoratus guſtui præpoſitus, eſculenta & poculenta ferme præiudicat omnia: vnde prægustatorem ſenſus rectè quidam nominauêre, cùm ipſius effectum animaduertiſſent. Spes etiam ad id à natura comparata videtur, vt futurum bonum quaſi prægustaret, ídque animo commendaret, qui firmiter poßideret. Proinde cùm quis in itinere conficiendo fame vel ſiti correptus eſt, ſi repente fontes viderit aut arbores omnis generis ſuauibus onuſtas fructibus, tametſi nondum comederit nec biberit, ac ne hauſerit quidem, decerpſerit ve, ſpe tamen ipſa fruitionis ante impletur. Deinde cenſebimusne nos corporis quidem alimentis ante vſum paſci poſſe; mentis verò cibos* idoneos non eſſe ad nos exhilarandos, cùm epulas nobis apparant. Riſit igitur meritò cùm nondum ſatus videretur in mortali genere riſus. Nec ipſe tantùm, verùm etiam mulier ridet. Pronunciatur enim denuo:* Riſit autem Sarra in

Virg. 6. Æn. *Hinc metuunt cupiúntque, dolent, gaudéntque.*

Autor.1.de Ioſeph. p. 238.

Odoratus adminiſter guſtus.

Philop.92. ὀσφρησις προγεύσεις.

* *Lege hic* ὑδρευσάμενος.

* *Emendo,* ἑστιᾶσθ.

Gen.17.18.

Risit occultè, dicens, Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operã dabo?

Virtus natura delectabilis, vitium insuaue.

semetipsa, *aiens: Nōdum vltro suaptéq; sponte se mihi bonum obtulit, sine meditatione & labore, ad hanc vsque diem: Sed is qui pollicetur, Dominus meus est & antiquior omni ortu: cui fidem necesse est adhibere. Quinetiam simul edocet virtutem natura rem esse delectabilem, vtque ea præditus semper gaudeat, vtque è contrario vitium molesta res sit, eóque contaminatus summis doloribus & molestijs afficiatur. Præterea cùm eos philosophos etiamnum admiremur qui virtutem asserunt affectuum priuationem seu doloris carentiam esse: en Moses sapientis huius decreti autor reperitur, dum vrbanum virum lætantem ac ridentem producit. Itémque alio loco non ipsum tantùm, sed eos etiam qui eodem quo ipse perueniunt.* Nam cùm te viderit, *inquit*, lætabitur in se ipso. *quasi solus studiosi aspectus abunde sufficiat ad implendam lætitia mentem, deposita mœstitia quæ animi malorum molestissimum est. Sed improbo nemini gaudere permittitur: vt in propheticis canitur sententijs:* Lætari non est fas impijs, *inquit Deus. Est enim oratio veritati consentanea & oraculum diuinum: Praui cuiusque vitam mœstam tristitiæque & miseriæ plenam esse, tametsi vultu se ridere simulet. Enimuero Aegyptios gauisos esse non ausim dicere ex rei veritate, cùm Iosephi fratres accedere audirent:*

Stoic. dogmatis cõmendatio.

Exod.4. Vidénsque te lætabitur in corde.

Deut.16. Tristitia quale malum.

Esa.48. Non est pax impijs, dicit Dominus.

Gaudium verum non est in improbis.

verùm

verùm ita vultum cõposuisse & finxisse, vt læti viderentur. Nulli enim stulto placet reprehensio vrgens: vt nec medicus intemperanti ægroto iucundus est. Etenim labor ea sequitur quæ sunt vtilia : mollities verò noxia comitatur. Qui ergò ignauiam labori præferunt, meritò succensent ijs qui adferunt conducentia. Itaque cùm audis Pharaonem cum familia sua lætatum fuisse ob aduentum fratrum Iosephi; ne putes eos verè gauisos fuisse, nisi ob eam fortasse causam, quòd sperarent Iosephũ animi sui bonorum iacturam facturum cum alijs conuersando, & antiquum atque auitum virtutis ingenitæ numisma inanibus corporis libidinibus inquinaturum & corrupturum. Hac spe adducta mens libidinosa non satis esse existimat si iuniores, & recenter Temperantiæ scholas frequentantes, voluptatum illecebris inescet, sed graue etiam ac molestum ducit, si antiquiorem non subducat rationem, cuius furentes ac rapidi affectus consenuere. Ait enim rursus, damna ceu commoda proponens, Assumpto patre vestro & omnibus vestris facultatibus accedite ad me. *Hæc in Aegypto nimirum facta sunt, & sub terribili illo Rege, qui & paterna & reapse bona, quæ natura sunt libera, corpore extra progresso, retro trahit, cogens ea carcere tetro includere, custode constituto, vt asserit ora-*

Labor & desidia. Idem lib. 3. de vita Mos.

Gen. 45. Tollite inde Patrem vestrum & cognationem & venite ad me. Ibid. 35.

Gen. 39. *Idem qui in com. verſ. dicitur, Putiphar, Eunuchus Phar. & princeps exercitus Reg.*

culum, Péntephre ſpadone & coquorum principe, qui raro honeſtis incumberet ſtudiis, & animi partes ad generandum aptas, exciſas haberet: nec vero amplius ſerere quid & plantare valeret eorum quæ ad doctrinam ſpectant: ſed coqui more animantes cæderet atque in fruſta ſecaret, & in mortuis atque inanimis non corporibus magis quàm rebus occuparetur: & ſuperfluis condimentis excitaret atque irritaret vanorum affectuum appetitus, quos par erat cicurando demulcere. Addit autẽ Pharao, Largiar vobis ex omnibus Ægypti bonis, & è medullis terræ comedetis. *Verùm dicemus ei; Nos qui animi bona vidimus, corporis commodum non adibimus. Nam ſuauiſsimum illorum deſiderium infuſum, altéque infixum, ſatis habet virium ad obliuionem carnis deliciarum inducendam. Talis certe quædam eſt falſa & inanis ſtultorum lætitia. Vera autem priùs expoſita eſt, quæ ſolis congruit vrbanis. Quare poſtquam cecidiſſet, riſit. non, cum à Deo excidiſſet, ſed cùm à ſemetipſo. ſtetit enim iuxta incommutabile, & à propria exiſtimatione cecidit. quocirca arrogante & faſtuoſo deturbato iudicio, & pia Deóque grata ſententia excitata, & circa immotum tantùm ſtabilita, cùm riſiſſet, dixit illicò cogitatione:* An centenario naſcetur, & Sarra nonagenaria pariet? *Ne ergo cenſeas,*

Ibid. 45. Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.

Gen. 17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit in corde ſuo, dicens.

Ibid. Putasne Centenario naſcetur filius?

(vir ingenue) hæc verba, Dixit *(non ore , sed)* cogitatione, *adiecta fuisse frustra & abs re, sed potius valde circunspectè & consideratè. Qua de causa? quia videtur dum proferret hæc,* An centenario nascetur? *de ortu Isaaci ambigere; quem tamen antea credidisse dicebatur, vt indicauit istud oraculum paulo ante editum:* Non erit hic heres tuus, sed is qui egredietur * ex te. *Deinde mox subiunxit,* Credidit Abraham Deo, & reputatum est ipsi ad Iustitiam. *Quoniam igitur consentaneum non erat, eum qui crediderat, ambigere & in dubio esse: non diuturnam præstitit dubitationem, sed ore tantum & lingua tenus prodeuntem, ibique insistentem, in celeri motu prædita mente.* Dixit *enim, inquit,* animo & cogitatione; *quam quidem nihil eorum quæ ob velocitatem commendantur, anteuertere valeret; cùm volucres ipsas naturas omnes anteeat. Vnde mihi videtur celeberrimus Poëtarum Græcorū dixisse:* * tanquam auis, aut mens. *Magnam in eo celeritatem declarans, quòd figuratè, vt cresceret oratio, post alitem subiecit cogitationem. Etenim cogitatio in eodem & negotio & corpore ad plurima progreditur, cùm incredibili pernicitate, & ad ipsos terræ marísque fines statim peruolitat, immensa locorum spatia ore concidens & tranans: adeò vt eodem temporum*

Ibidem.

Gen. 15.
**Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis heredem.*

Dubitatio leuis.

De mentis & cogitationis celeritate.

** Homerus Odyss. 7. Themist. or. 6. p. 84. Onosander in* ςϱατηγ. *c. 2. vbi interpres Lat. non est assequutus mentem autoris sui hic Homer.*

momento tantum ſupra terram emineat, vt per aërem ad æthera perueniat, atque ægrè ſe contineat in extremo orbe, in quo infixæ ſunt inerrantes ſtellæ: quandoquidem flammeus & igneus vigor qui in ipſa eſt intelligentia, eam non ſinit quieſcere. Quare multa exſuperans, & longè hos totius naturæ ſub ſenſum cadentis Mundus intelligibilis Platon. *limites excedens, ad Mundum ex Ideis concretum cognationis iure contendit. Quapropter in* Vrbani mutatio. *Vrbano contigit exigua mutatio, indiuidua, nullis partibus diſtincta, quæque ſub ſenſum non caderet, ſed tantum intelligentia quodam modo perciperetur, temporiſque expers eſſet.* Obiectio. *Dicet verò fortaſſe aliquis: An igitur qui ſemel quid credidit, veſtigium vel vmbram vel momentum diffidentiæ prorſus admittere poteſt? Is autem aliud nihil mihi velle videtur, quàm natum aſſeuerare ortus expertem eſſe, mortalémque eſſe immortalem, & caducum ſempiternum, hominémque ipſum (ſi ita loqui fas eſt) Deum. Etenim fidem quam ſortitus & nactus eſt homo, adeò firmam aſſerit eſſe oportere, vt nihil diſcrepet ab ea quæ habetur de eo quod reapſe eſt, & perfecta omnîque ex* Deut. 32. *parte abſoluta eſt. Ait quippe Moſes in Cantico maiore :* Fidelis Deus, neque vlla eſt iniquitas in eo. *Magna autem inſcitia eſt cēſere humanū animum Dei virtutes firmiſſimas*

& solidißimas posse comprehendere, quoniam sufficere ei debet si imagines multis magnísque numeris inferiores exẽplaribus cõparare valeat. neque id iniuria. siquidem Dei virtutes puras esse necesse est: (quoniam Deus nihil concreti est, cùm natura sit simplex) hominum verò mixtas virtutes esse conuenit: quippe cùm ex diuina & humana natura temperati simus, & secundum perfectæ Musicæ rationes connexi & coagmentati. Quod autem ex pluribus est constitutum, naturales ad vnamquamque partium recursus ac reflexiones habet. Is verò demum beatus est, cui liberum integrúmque fuit longiore vitæ tempore in meliorem ac diuiniorem partem propendere. nam toto æuo, nimis arduum ac difficile est: quoniam pondus mortale oppositum aliquando præponderat, & insidijs structis intempestiua Ratiocinationis tempora accuratè obseruat, quò ei vim afferre commodiùs poßit. Quocirca Abrahamus Deo fidem habuit, sed tanquam homò credidit, vt quid proprium habeat mortalis agnoscas, sciásque haudquaquam aliter ipsi euenisse mutabilitatem, quàm à natura; ac si quidem illa breuis & * momentanea extiterit; æquum est agere gratias, quandò pleríque conuersione, vi & impetu submersi, planè exstincti sunt. Neque enim est (bone vir) ex sanctißimi Mosis sententia,

Dei virtutes puræ, hominum mixtæ.

Arist.l. 1. de cælo.c. vlt.

Beatitas huius vitæ.

* Lego, ἀκαρὴς.

Idem lib. de præm. & l. 2. de somn. Gen. 31. *Neruus emarcuit in femore Iacob.* Alia obiectio.

incolumis & integra virtus in mortali corpore: Verùm aliquid tale perpetitur quale torpedo, & aliquantulum claudicat: Torpore affecta est, *inquit*, latior pars coxæ, qua claudicauit. *Sed fortasse confidentior aliquis huc se conferens dixerit, quòd ne diffidentis quidem sit oblatio, sed orantis: ita vt si lætitia voluptatum suauissima gignenda sit, non alijs numeris potius, quàm nonaginta annos natus, procreetur: quò sic absolutum bonum perfectis numeris ad ortum veniat. Absoluti porrò sunt dicti numeri, vel ipso sacratissimorum potissimùm commentariorum testimonio. Sem recto quidem ordine filius iusti Noæ, progenitor verò perspicacis generis, centum annorum fuisse fertur, cùm Arphaxat genuit, qui exponitur,* Conturbauit ærumnam. *Præclarus certè fœtus animi, est exagitare, & confundere & profligare ærumnosam & malis refertam Iniustitiam. Abraham⁹ quoque aruum conserit aggeris ruderis've centesima ratione, ad loci dimensionem. Isaacus etiam hordeum centuplò auctum reperit. Moses verò atrium sacri tentorij construit, centum cubitorum dimetiens interuallum, tam ad ortum quàm versus occasum. Præterea primitiarum primitiæ sunt centesima portio, quam Leuitæ sacris operantibus tribuunt. Nam cùm decimas perciperent à gente, iniunctũ est, veluti*

Absoluti numeri.

Gen. 11.

Arphaxat notatio.

Iniustitiæ profligatio.

Centenarij perfectio.

De primitijs fusius quàm pag. 1.

à proprijs possessionibus, sacerdotibus quasi decimam rationum sacram concedere. Enimuerò pleráque alia quis meditando inuenire posset, quæ in Legibus se offerunt, ad istius numeri commendationem: sed in præsentia abundè sufficiunt, quæ diximus. Atenim si à centum decimas sacras primitias seposueris Deo animi fructus inserenti, augenti & implenti, alium numerum nonagesimum relinques. Cur enim is perfectus non esset, qui finitimus est primæ & decimæ, quo modo sancta sanctorum distinguntur, medio velo interiecto, quo ea quæ eiusdem generis sunt, diuiduntur iuxta partitiones quæ formis accidunt. Quapropter Vrbanus cogitatione & mente loquebatur re verá vrbana. Vitiosus autem explicat interdum præclarè quæ pulchra sunt, sed fœdè præstat turpissima. Sicuti Sychem proles stupiditatis: Patre siquidem prognatus est Emor, qui expositus, appellatur Asinus. Ipse autem Sychem exponitur, Humerus, qui est Laboris nota. Improbus porrò & ærumnæ plenus est labor quem parit stupiditas: veluti conducibilis est is cui affinis est solertia mentis. Aiunt sanè oracula, Locutus est Sychem secundum mentem virginis, cùm prius eam dedecore affecisset. *Nonne igitur considerate dictum est illud,* Locutus est ex mente & sententia virginis: *tantum non ad*

Num. nonagenarius.

Sychem fil. Emor. & vtriusque notatio.

Labor stupidi & solertis.

Idem l. de colo.

Gen. 34. Conglutinata est anima eius cum ea, tristémq; deliniuit blanditijs.

Dina virgo, Iuſtitiæ Iudicijve Symbolum. *Heſiod. 1. ἔργ. Autor l. de Ioſ. & in Flac. Plato. 4. Leg. Ariſt. de Mun. Plut. in Colot.*

declarationem eius qui contraria ijs quæ dixerat, præſtitit. Eſt enim Dina Iudicium incorruptum, Iuſtitia quæ Deo aſsidet, & virgo ſemper integra eſt. Nam vtroque modo exponitur Dina, Iudicium, aut Iuſtitia. At veſani, qui hanc corrumpere aggrediuntur conſilijs, ſtudijſque & actionibus quotidianis; decore

Iuſtitiæ hoſtes.

& honeſtate orationis, reprehenſionem effugiunt. Oportet ergo eos aut ijs quæ dicunt conſentanea peragere, aut ius violando iniuriamq́; infe-

Quietis bonum.

rendo, quieſcere. Dimidium enim, inquiunt, mali, quies eſt. proinde Moſes increpat eum qui primas tribuebat ortui, ſecundum vero locum

Gen. 4. Pſ. 10. 33. Ezech. 33. *D. Aug. in Enchir. c. 80. Plat. in Phæd.*

immortali Deo relinquebat: Deliquiſti, *inquit,* quieſce. *Nam tragicè efferre & faſtuosè oſtentare mala, geminus error eſt: ſed plerı́que fermè id committere ſolent. Etenim virginem Iuſtitiam blandè & amicè affantur: nullam verò prætermittunt occaſionem, quò, ſi poſsint, eam iniuria & contumelia afficiant. Enimuero*

Hypocritarum diſſimulatæ voces. Virtutum laudatio, vitiorumque reprehenſio cōmunis.

quæ ciuitas referta non eſt ijs qui virtutem ſemper virginem celebrant, & adſtantium aures obtundunt, cùm iſta prædicant: Prudentia neceſſaria res eſt: ſtultitia, pernicioſa: optabilis Temperantia. Incontinentia aduerſa & inimica eſt. Fortitudo cum patientia perferenda. Ignauia, vitanda. Iuſtitia conducibilis eſt: Iniuſtitia inutilis: quod fas ſanctúmque eſt,

præclarum

est, præclarum est: quod nefas est, turpe quoque «
est. Pietas laudabilis: Impietas vituperanda est. «
Hominum naturæ maximè proprium est, rectè «
velle, & facere & dicere. Alienum est ab «
eadem, malè vnumquodque horum præstare. «
Cùm hæc & similia semper in ore habeant, omnia Prætoria, consistoria, Theatra, concilia & cœtus hominum decipiunt, vt qui laruas & personas pulchras vultibus fœdissimis adhibent, ne videlicet à spectantibus arguantur. Hæc verò fictio nulli vsui est. Accedent enim quidam magno animi robore prædìti, & ardenti virtutis amore flagrantes, qui cùm velamina & ornamenta illa orationis artificio contexta, detexerint, ac denudatam apertámque animam illustrarint, perspicient arcana in ipsis naturæ penetralibus abdita, deinde turpitudinem foras producentes, omniáque ipsius probra & dedecora, Soli puro exposita omnibus indicabunt, & patefacient quàm per se turpis & deridenda esset, & qualem sibi formositatem, quámque illegitimam & spuriam, adiuncto sibi falso ornatu, affinxisset. Iam verò ad vltionem morum tam profanorum atque impurorum, prompti paratíque sunt duo quidem numero, Symeon & Leui; sed vnus sententia. Quare in Benedictionibus Pater ambo vnius loco numerat, ob consensum & concordiá, atq; impulsionem

Gen. 34. 47. 49.

Duorum vnitas.

Deut.33. Theodor. ibid. q.46. p. 180. *Non caret effectu quod valuere duo.* Sup. p. 29.

ad Vnum idémq; propositum. Neque verò Moses ipse binarij meminit: sed totum Symeonem in Leui expreßit, mixtis at temperatis duabus naturis, ex quibus vnum perfecit quasi vnica Idea informatum, Actione Auditioni in vnum iuncta. Cùm igitur cognouit promißionem enarrantem verecundiæ & religionis plena, ex animi sui sententia, virtutis cultor vtrumque in se admisit, & fidem in Deum, & diffidentiam erga rem generatam. Quocirca meritò dicit orans,

Gen.17.

Vtinam Ismaël hîc viuat coram te. *Nec abs re ponit vnumquodque vocabulorum quæ hîc vsurpantur,* τὸ, hic, τὸ, viuat, τὸ, in conspectu tuo. *Etenim ambiguitate* * *vocum, quæ in rebus sunt, non pauci sunt decepti. Quid autem illud sit quod dico, animaduertendum est. Ismael expositus, est Auditio Dei. porrò diuina decreta nonnulli auscultant non sine fructu & commodo suo: alij verò damno suo & aliorum. Annon augurem Balaacum vides? Is inducitur Dei oraculis aures præbens, & scientiam habens, munere & concessu Altißimi. Ecquem verò ex eiusmodi auscultatione, quem ex tali peritia fructum percepit? cùm mente quidem aggressus fuisset præstantißimum animi oculum, contaminare, qui certè solus Deum cernere didicit, neque verò id assequi potuisset, ob eius qui* * *salutem dedit, robur inuictum:*

* ὁμωνυμία.

Ismaëlis interpr.

Diuinorum mandatorum auscultatio.

Num.22. de Balaamo seu Balaac.

* σωτῆρος.

*Iccirco ſua veſania percitus, multis vulneribus acceptis, in medio ſauciatorum occubuit. quia nimirum ficta falſáque diuinatione, à Deo inſpiratum vaticinium peruerterat. Meritò igitur * Vrbanus orat, vt hic ſolus Iſmael ſanus ſit, propter eos qui non, vt par eſt, legitimè audiunt narrationes diuinas, quibus interdixit Moſes ne frequentarent cœtum * concionémve omnium Rectoris. Illi enim qui contuſas habent prolificas Intelligentiæ partes, vel etiam planè abſciſſas, hoc eſt, qui priuatam mentem & ſenſum magnificè extollunt, quaſi ſolas humanorum negotiorum cauſas, vel iј qui multitudinem * deorum amplexati ſunt, & profanos ritus honorarunt, vulgo quæſiti & concepti; vnum maritum & Patrem ſtudioſæ animæ, Deum, nō agnoſcentes; nonne iure detruduntur & amandantur? Simile quiddā mihi facere videntur, parentes qui hunc accuſant ob temulentiam: Aiunt enim,* Filius noſter iſte proteruus & cōtumax eſt. *Adiectione pronominis,* iſte, *indicantes alios eſſe liberos patientes laboris, & temperantes, atque rationis rectæ mandatis & diſciplinæ præceptis obſequentes. Etenim animi veriſſimi parentes hi ſunt, à quibus culpari quidem turpiſſimum, laudari verò honeſtiſſimum eſt: hoc modo,* Iſte eſt Aaron & Moſes, quibus præcepit Deus vt educerent filios Iſraël

[Margin notes: * ἀςεῖος. In diuinorum eloquiorum auditores illegitimos. * ἐκκλησίαν Leu. 22. Deut. 23. Cl. Alex. in Protre. p. 12. Theod. p. 167. Autor. l. de Ebr. p. 182. * πολυθείαν Deut. 21. Animi parente. Exod. 6.]

ex Ægypto. *Et iterum;* Hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem Regem. *Hæc ne censeamus superuacaneè & abs re dicta esse, aut Indicia non quid amplius subindicare quàm ipsa*

Exod. 4. & 7

nomina. Enimuerò Moses quidem est, Mens

* θεοπρεπῶς.

purißima: Aaron autem, oratio ipsius. porrò mens edocta est Deo decenter contingere sancta:*

Intelligere & exponere: vt, sentire, & eloqui.

itémque oratio didicit eadem piè exponere. Sophistæ verò effingentes & adulterantes probatam monetam, hoc aiunt & rectè sentire de eo quod optimum est, & laudabiliter dicere. Ergo ne

Examen probatæ & adulterinæ monetæ.

decipiamur, cùm adulterini nummi iuxta probatos apponentur, ob Characteris similitudinem, examen dedit quo distinguantur & explorentur. Ecquodnam istud est? vt videlicet mens

* φιλοθεάμων.

perspicax, & spectandi cupida, & sapientiæ studiosa, educetur regione corporea. Etenim hic Moses est, qui istud efficere potuit: qui verò nequiuit, & loquitur tantùm, cuiúsque oratio infinitis verborum ampullis exultat, deridetur. Præterea vitam precatur Ismaëli, non quod huius vitæ, quæ cùm corpore degitur, curam haberet: sed vt diuina auditio in anima perpetuo conseruata, ipsum excitaret, ac refocillaret. Atque hic quidem auscultationem eloquiorum & disciplinam decretorum sacrorum viuere precatur, vt dictum est: strenuus vero*

* εὐφυΐαν.

Iacob docilitatem ingenijq; felicitatē incolumem*

esse optat. Atenim dicit, Viuat Rubem , & non moriatur. *Num igitur immortalitatem atq; æternitatem homini, cui contingere nequit, his precibus obtinere contendit? minimè gentium. quid ergo præseferat, & ob oculos ponere velit, explicandum est. omnes cùm auscultationes, tum disciplinæ stabiliuntur & ædificantur, veluti in fundamento anteiacto, in natura doctrinæ capaci, quæ nisi antegrediatur, inutilia sunt omnia. nam à quercu & lapide surdo nihil differre indociles videntur. quandoquidem nihil tenaciter ipsis adhærere queat; quin omnia ab ijs tanquam à re solida excutiuntur ac resiliunt. Sed ingenuorum ac docilium animos videre est more ceræ leuigatæ, nec solidæ nimis, neque nimium mollis, moderatè temperatos, facile omnia quæ auscultant & cernunt admittere, & exactè formas percipere atque exprimere, tanquam efficaces quasdam imagines memoriæ. Erat ergo necesse precari generi rationis participi, docilitatem, incolumitatem atque immortalitem adesse. Nam pauci sunt participes vitæ virtuti consentaneæ, quæ minimè fallax vita est: neque de vulgo plebeiisque hominibus loquor, (nulla enim veræ vitæ particula cùm ijs communicata est) sed de ijs quibus integrum fuit humana fugere studia, Deóque soli viuere. Quapropter valde miratus est vir insigni pietate ac fortitudine, si*

Deut.33. Epiph. 1. Hær.p.17.

Disciplinarum fundamentum docilitas.

Laërt. in Aristip.p.74.

Arist.3.de An.c.4. Philo in Alleg.p.40. Legendum μὴ τε, non μή.

Vita virtuti consentanea. Arist.1. Eth.

quis medio vitæ flumine deuectus, nullo impetu pertrahatur, at poßit diuitijs affluentibus obsistere, & voluptatis immoderatæ violentiam ferre valeat, atque inanis gloriæ turbine non abripiatur. Quare non tam Iacobus ait Iosepho, quàm sacer sermo omni qui corpore quidem benè constitutus est, verùm in amplißimis facultatum copijs exploratur, nec ab vlla capitur, Num tu adhuc viuis? *hac admirabili oratione prolata, quæque quotidianam nostram vitam excedit: cùm parua quadam felicitatis aura abrepti, excusso omni rudente, mirum in modum intumescamus, & magno contentóque spiritu plenis velis ad libidinum fruitionem feramur; neque profusas laxásque immoderatè cupiditates antè reprimamus, quàm præcipites delapsi cum tota animæ cymba naufragium subeamus. Præclarè igitur omninò precamur, Vt Ismaël viuat. addit porrò,* Coram Deo viuat. *Finem beatitatis statuens, cùm intelligentia digna reputata fuerit inspectore & præside eo qui omnium quæ existunt optimus est. Nam si institutore præsente, peccare non potest is qui instituitur: & cùm prope adest præceptor, discipulum adiuuat: Itémque si senior intersit, adolescens pudore & modestia decoratur: & pater aut mater prohibent filium ab iniuria inferenda, cùm ab ipso tantùm in quiete conspiciuntur. quantò*

[Marginal notes: Gen. 45. (beside "tum copijs exploratur"); Procliuitas ad fastum & libidinem. (beside "dit: cùm parua quadam"); Gen. 17. (beside "addit porrò"); Simile ab institutione. (beside "quæ existunt optimus"); Xenoph. de Repub. Lacen. Cic. de sen. Seneca in consol. ad Marc. (beside "uat: Itémque si senior")]

excellentioribus frui bonis putamus eum qui se à Deo semper videri existimat? Etenim præsentis maiestatem veritus, eum suspicit: & contremiscens, iniuriã inferre planè cauebit. Præterea dum Abrahamus oraret, vt Ismaël viueret, non desperauit de ortu Isaaci, vt iam antè dixi, sed Deo fidem habuit. Neque enim, quæ dare Deus potest; ea quoque homini integrum est accipere. quandoquidem Deo facile est plurima & maxima largiri; nobis verò non perinde expeditum est proposita munera accipere. contenti enim esse debemus, si nota & consueta bona, labore & exercitatione parta sortiamur, ea verò quæ sine arte aut sine vllo hominum prorsus inuento sua sponte prompta paratáque se offerunt, ne spes quidem vlla est assequendi. hæc siquidem, quia diuina sunt, à diuinioribus & purioribus naturis atque à mortali corpore liberis reperiri necesse est. Porrò Moses indicauit, pro virili parte, quemque gratas manuum operúmve confeßiones facere: Ita vt solers quidem consecret & appendat, ceu donarium quoddã, intelligentiam ac prudentiam: Eloquens verò virtutes omnes quæ in oratione sunt dedicet, tum per carmen & canticum, tum per encomia & elogia eius quod est, oratione soluta conscripta. Atque vt singulos persequar, Philosophus quidem Naturalis, suas de Natura

Dei beneficiorum côditio.

Bonorum genus duplex.

Scientiarum, artium & officiorum omnium consecratio.

commentationes; Moralis verò omnem illam philosophiam quæ de moribus & vita differit. Artifex etiã & scientia præditus aliqua, artium & scientiarum præceptiones. Eodémque modo, nauta quidem & gubernator, secundam nauigationem. Agricola fructuum vbertatem, pastor & dux armentorum, fœcunditatem animalium: Medicus, ægrotantium sanitatem: Itémque dux exercitus & Imperator, belli robur. Magistratus quoque & Rex, legitimam administrationem ac principatum consecrabit. atque vt semel dicendo omnia complectar, is qui cæco sui amore non laborat, omnium bonorum, tam animi quàm corporis, & externorum, Deum autorem esse declarat, vt eorum causâ sola non fictè sed verè est. Quocirca nemo eorum qui obscuriores & ignobiliores esse videntur, meliori spe destitutus, supplicem se Dei facere cunctetur: & quamuis nihildum meliorum expectet, Deo gratias agat, quantum in ipso est, pro ijs quæ iam nactus est. Infinita autem quiuis obtinuit, Ortum videlicet, vitam, educationem, animam, sensum, imaginandi vim, appetitum, & rationis vsum. Est autem Ratiocinatio breuissimum quidem vocabulum, sed perfectissimum atque absolutissimum opus, Animæ Vniuersitatis portio & particula; aut quod sanctius est dicere ijs qui Mosis philosophiã amplectuntur, expressum imaginis

Deus omnium bonorũ causa.

Dei supplicatio cum gratiarum actione.

Infinita Dei beneficia.

Ratiocinationis siue discursus excellentia.

imaginis diuinæ simulacrum. Aequum etiam est laudare speculatores eos qui aggressi sunt integrum virtutis stipitem radicitus euellere, & gestare: cùm verò id efficere non potuissent, palmitem saltem & racemum vnum acceperunt, vt specimen totius vitis, & portionem quam solum humeris ferre valuerunt. Optandum siquidem cum toto virtutum cœtu choream agitare; quòd si hoc supra humanam naturam esse constet, contenti simus, satisque sit nobis, si contigerit vnam aliquam ex particularibus obtinere, Sobrietatem, aut Fortitudinem, aut Iustitiam, aut Benignitatem. Producat enim & pariat anima bonum aliquod ex vna specie; néve omnium sterilis & infœcunda existat. An verò talia iniunges filio tuo mandata? Nisi familiaribus & domesticis leniter vtaris, ne cum æquali bus socialiter conuerseris: nisi modestè cum vxore; ne cũ parentibus honorificè te geras: si matrẽ negligis & patrem; ne erga Deum quoque pietatem colas. Si voluptate lætaris; ne ab auaritia etiam recedas. Habendi studio teneris, etiam gloriæ cupiditate labora. Cur enim modum seruare in quibusdam postulas, si non possis in omnibus? Annon ergo tibi filius diceret, Quid ais, mi Pater? aut perfectè bonum, aut omnino malum tibi filium euadere vis; neq; contentus eris si prius media quàm summa capessat? Nónne ideò

Num. 12. & 13.

Non omnia possumus omnes.

Virtutes præcipuæ & necessariæ.

Patris mandata præpostera.

Filij responsio mouestiæ plena. *Crede mihi sapere ... non nimium sapere.*

Gen. 18. *Abrahamus in Sodomitarum interitu orsus à quinquagesimo numero in quinarium desinit?* Deut. 15.16. *Obtestans & supplicans vt nisi reperiatur in re generata, absoluta in libertatem assertio, cuius* Quinquagesima sacra. *signum est Quinquagesimæ ratio sacra, media saltem disciplina assumatur, Decadi adnumerata, ad absolutionem animæ condemnationis sententiam expectantis. Cæterùm qui disciplinis instructi & eruditi sunt, indoctis & rudibus, & qui orbem Musici concentus comprehende-* Precum occasiones. *runt, plures precandi occasiones habent illis qui Lyræ imperiti & Musices ignari sunt: cùm fermè à pueris sermonibus de continentia omniq; virtute tincti planéq; imbuti sint: Quocirca licet non omnino puri, integri, mundíque sint ab iniuriæ illatione; elutis tamen sordibus nitidiores, aliquatenus saltem ac mediocriter expurgarunt se.* Gen. 27. *Simile quiddã Esau patri videtur dicere:* Num- Num vnam tantum benedictioné habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. quid vna tãtum erit apud te benedictio, mi Pater? Benedic etiã me, Pater. *Fas enim est vt aliæ alijs virtutes decernantur; ac perfectis quidẽ absolutæ; mediocres verò imperfectis. Perinde atque in corporibus se res habet. Alia enim exer-* Alia alijs conuenire tam animis quàm corporibus. *citationum & alimentorum genera sanis, alia ægrotis tribuuntur: Itémque alia, quæ ad victus rationem spectant, non eadem statuuntur; verùm alijs quidem commoda, ne plane ægrotent; alijs verò propria, vt integram pristinámque*

valetudinem recuperent. Quare cùm multa bonorum genera existant in rerum natura; hoc largire quod mihi congruere videtur; tametsi leuißimum sit. cùm eò tantum tenderim arcúmque direxerim, vt poßim mihi concessa facile commodéque ferre; dummodo ne id assequi desperans, animúmque despondens, infelix deficiam. Quid vero indicari arbitramur his verbis, Nonne manus Domini sufficiet? Annon eius quod reapse est vires omnino anteuertere in benignè faciendo, non in ijs tantum qui clari & illustres apparent; verumetiam in ijs qui obscuriores & ignobiliores videntur: quibus conuenientia Deus tribuit, pro pondere & mensura animi cuiusque perpendens & dimetiens apud se æqua ratione singulis congruum & consentaneum. Non minus commouet & percellit me lex de ijs qui peccata exuunt & pœnitentia duci videntur. Iubet enim primùm quidem victimam adducere, pecudem integram: [Si vero, inquit, manus & facultates eius non valeant ouem suppeditare, feret pro peccato quod commisit, duos turtures aut duos pullos columbarum; vnum pro delicto, & alterum ad adolendum & consumendum flammis. Quòd si manus & census ipsius non poßit reperire par turturum, duósve pullos columbarum, feret pro munere decimam partem trium satorum semilæ. nō fundet oleum in ipsam,

Num. 11. v. 23. Numquid manus Domini inualida est?

Leu. 5. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, & alterū in holocaustum, &c. Quòd si nō quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo

neque thus apponet super ipsam, quia pro peccato est: & offeret ipsam sacerdoti, & sacerdos apprehendens plenum manipulum ipsius, monimentum seu memoriale imponet super altare.] *Tribus itaq; pœnitetiæ modis placatur Deus, dictis videlicet pecoribus, vel volucribus, vel frumentis: pro viribus vtique eius qui expiatur & pœnitentiam exercet. Nam neque parua magnis, neque magna paruis egent purgationibus; sed iuxta proportionem paribus & similibus. Verùm cur his tribus duntaxat fit purgatio? digna res est indagatione. Sane peccata & recte facta his tribus examinari vsuevit, cogitatione, verbis, & actionibus. Idcirco Moses, in exhortationibus, docens bonam possessionem neque ita arduam esse, vt adiri non possit, neque inuestigatione difficilem, ait, Non opus esse in cælum volare, aut vsque ad extremos terræ marisque fines se conferre, vt ea percipiatur, sed prope esse, ac valde prope. Deinde illud propemodum ob oculos ponit, cùm dicit,* Omne munus in ore tuo, & corde tuo, & manibus: *quæ verba idem notant atque hæc, In verbis, in Consilijs, & in operibus: quippe cùm ex recto consilio, & pio sermone, atque bona actione, felicitas humana constituatur, vt ex contrarijs quoque infelicitas. nam in ijsdem his locis & recte facere & errare licet, in corde,*

Similæ Ephi decimam. non mittet in eã oleũ, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est; tradetq; eam sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens cremabit super altare.

Tres pœnitentiæ & expiationis modi.

Peccatorum examẽ triplex.

Deut. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positũ. Nec in cælo situm: neque trans mare positum. &c. sed iuxta te est sermo valde: in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.

ore, & manu. Enimuero quidam de rebus æquissimus deliberant, & quæ sunt optima dicunt, & quæ agenda sunt præstant. In his autem tribus, leuissimum est consilium dare & capere de ijs quæ non oportet: grauissimum verò manu quæ iniqua sunt aggredi. Media res est dicere quæ non decet. Verùm sæpe accidit, vt quod leuissimum est, difficillimè conteratur: neque enim facilè est animi agitationem ad tranquillitatem ducere: ac citius quis torrentis impetum cohibuerit, quàm animæ conuersionem perpetuo vehementérque decurrentem. Innumeræ siquidem meditationes, aliæ super alias decumanorum fluctuum instar occurrunt, quæ totum animum huc illuc impellunt, turbant, ac violenter trahunt, agitantque. Hic igitur præstantissimus & absolutissimus est Purgationis effectus, ne cum animo quidem suo agitare quicquam eorum quæ absurdissima sunt, sed in pace & optima constitutione, quarum princeps est Iustitia, versari & æuum degere. Secundum autem est, verbis non delinquere mentiendo, aut peierando, aut decipiendo, aut argutijs in errorem inducendo, aut calumniando, aut omnino os vel linguam ad perniciem quorundam relaxando, quibus frænum adhibere satius fuisset, & insolubile vinculum. Sed quare dicere quæ non decet grauius est peccatum quàm cogitare? hinc facile est perspicere.

Clem. Alex. Strom 11. p. 118, & in Protr. 38. Autor l. de pram. p 638. Ibid. 30.

Purgationis effectus duo.

Cogitationis error cur leuior sit, quàm orationis; & sermonis quàm actionis.

Aliquis interdum non ex animi sui sententia, sed inuitus cogitat: Eorum enim quæ nollet notiones percipere cogitur. atqui nihil eorum quæ contra voluntatem fiunt, iure culpari potest. Verùm sponte sua quisque loquitur, ideóque nisi bona verba proferat, iniquè agit, & infortunatus est, qui ne fortuito quidem vult quidquam eorum quæ æquißima sunt pronunciare; cui perutile esset tutißimam quietem amplecti. Adde quod quiuis, etsi non quiescat, potest vtique tacere, si ita constituerit. at verò grauius est delictum iniustè agere, quàm peruersè dicere. Est enim, vt aiunt, oratio actionis vmbra. quòd si vel vmbra lædit, quî res ipsa non esset nocentior? Iccirco Moses mentem quidem à criminibus & pœnis liberauit, quòd inuoluntarijs plerumque mutationibus & conuersionibus subiecta sit, & afficiatur potius à cogitationibus foris aduentantibus, quàm præstet quippiam. Quæcunque vero per os egrediuntur, ea ad defensionem & examen adducit; cùm præsertim dicere in nostra situm sit potestate. Verùm sermonum quidem mulctæ sunt leuiores: operùm verò grauiores sunt animaduersiones. Etenim magna constituit supplicia in eos qui grauiter offendunt, & factis persequuntur quæ mente dementi deliberarunt, & linguæ temeritate effutiuerunt. Expiationes porrò horũ trium, cogitationũ,

Adagium, λόγος ἔργου σκιά.

γνώμη ἀγνώμονι.

orationis, actionis, dixit esse ouem, par turturum aut columbarum, atque Similæ sacræ mensuræ decimam. oue quidem cogitationem purgari ratus; sermonem verò volucribus, & similagine actionem. Quamobrem istud? quia velut in nobis præstantissima res est Mens; ita ouis in brutorum animalium genere: quippe quæ mansuetissima sit, & prouentum annuum producat ex se, ad emolumentum simul & ornamentum hominum. Vestis enim frigoris & caloris iniurias arcet, & arcana naturæ contegens, venustati est vtentibus. Signum ergo sit expiationis mentis, rei præstantissimæ, ouis, animal optimum. Orationis autem volucres: Etenim leuis res est oratio, & volucris natura, quæ sagitta velocius fertur, & vbique salit. Nam quod semel dictum est, recurrere nequit: cùm autem foras emissum est, summa velocitate currens, aures percutit, & per omnem audiendi sensum pergens, statim resonat. Porrò geminus est sermo; alius verus, alius falsus: cuius rei gratia mihi comparari videtur pari turturum aut columbarum. Ex volucribus verò, aliud ait oportere sacrificium pro delicto offerri, aliud pro victima plane incensa in altari. quoniam vsuuenit sermonem verum totum plane sacrum & absolutum esse: falsum autem cum errore iunctum esse, & correctione egere. Iam verò, Actionis nota est Simila: hanc

Mentis & Ouis præstantia.

Auium nota. Hinc Homer. vocat ἔπεα πτερόεντα. Plut. de Garr.

Nescit vox missa reuerti.

Sermo duplex.

Leuit. 12

Simila q[...]

enim sine arte & acumine mentis purgari non contingit, sed manibus frumentariorum, quorum proprium est studium, discernitur. Iccirco ait, Cùm sacerdos corripuerit plenum pugillum, Memoriale ipsorum imponet. *Vbi per manipulum, aggressionem & actionem declarat. praeterea valde accurate de pecore quidem dixit,* Nisi vero manus sufficiens fuerit ad ouem. *De volucribus verò,* Si non inuenerit. *Quam ob causam? Quia magni roboris est & potestatis eximiae, mentis deflexiones tollere: non magnarum autem virium est, orationis peccata coercere. Etenim quies, vt paulo ante dixi, amuletum est omnium erratorum quae voce admittuntur, quam ad vsum adhibere cuique facile est. Plerique vero loquacitate & immoderato sermone, non valent finem imponere orationi. His igitur atque eiusmodi rerum diuisionibus & discriminibus educatus atque exercitatus vir vrbanus, nonne meritò videatur precari Ismaëlem viuere, si non poßit adhuc satu suo procreare Isaacum? Quid ergò probus & lenis Deus? Ei qui vnum rogauerat, duo tradit: & ei qui precatus fuerat quod minus esset, maius concedit. Dixit enim Abrahamo,* Sanè ecce Sarra vxor tua pariet filium. *Directa aptaq; est haec arcana responsio,* Sanè. *Quid enim magis decorum est Deo, quàm annuere bona, & citò pacisci?*

εἶδοποιῶν. Leuit. 5. *Theod. Q. 19. p. 17. Macar. hom. 47. p. 150* Manipulus seu pugillus. Ibid. Sin autem non potuerit offerre pecus. Quietis bonum. *Theophr. de Notis morum.* Gen. 17. ναὶ, ἰδοὺ — *Graeca his mendosa sunt.*

pacisci? Verùm omnis demens renuit quæ diuinum numen annuit. Quare Lian in odium incurrisse tradunt oracula, ideóque nomen istud obtinuit, cuius interpretatio est, Renuens & laborans. quandoquidem omnes virtutem auersamur & laboriosam ducimus, quòd illius præcepta & mandata plerumque suauia non sint. Sed tanto cum honore excipitur à principe, vt vulua ab ipso aperta semen diuini satus accipiat, ad honestorum studiorum & actorum procreationem. Disce ergo Anima, quod Sarra, quæ virtus est, pariet tibi filium, non tantum Agar, quæ media est disciplina. Huius enim proles, doceri potest: illius vero soboles est omnino, id quod per se discit. Ne mireris si Deus qui omnia seria & virtuti consentanea protulit, hoc etiam genus produxit, rarum quidem in terra, crebrum autem in cælo. hoc porro facile disces alijs ex rebus ex quibus homo constat. Num igitur oculi docti & instituti vident? quid vero nares; odorantúrne doctrina instructæ? Num tangunt manus, aut pedes incedunt, ex præcepto & exhortatione magistrorum? Appetitus verò & Imaginationes (quæ quidem primæ sunt animi motio-

Ibid. 29. Liæ significatio.

Gen. 17. Agar. Galat. 4. Clem. Alex. Strom. 1. p. 100.

Sponte impulsa, ad proprias actiones vtuntur.
Vitrus infusa. *Quid est igitur quòd adhuc mireris, si Deus virtutem sine labore & ærumna infundat, nulla egentem cura & industria, sed statim ab initio absolutam, omnísque affectus plane expertem? Quòd si testimonium accipere velis, an fide dignius ipso Mose inuenies, qui ait cæteris quidem hominibus cibos ex terra suppetere; soli verò perspicaci, è cælo. Alimenta enim quæ ex terra oriuntur, operam suam conferunt agricolæ: Ea vero quæ à cœlo sunt, solus opifex Deus fundit, niuis instar, absque aliorum ope & subsidio. Et sanè dicitur,* Ecce pluo vobis panes è cælo. *Quodnam igitur alimentum meritò pluuiæ more fundi ait; nisi cælestem Sapientiam innuat? quam cœlitùs dimittit in animos virtutis desiderio correptos, is qui prudentiæ copiam & fœcunditatem obtinet, & vniuersa rigat: ac potissimum in sacro * Septenario, quem Sabbatum nuncupat: Etenim tunc bonorum sponte fusorum prouentum fore asserit, quæ non ex arte tota exoriuntur, sed ex natura per se genita & absoluta pullulant, & proprios fructus producunt. Pariet ergo tibi virtus generosum filium masculum, omni affectu fœmineo vacuum, & vocabis eum nomine affectionis, quam ob ipsum percepisti. afficieris autem omnino lætitia; ita vt ei nomen imponas, quod notam ipsius*

Exod. 16. Autor l. de exul. p. 319. Manna Sapientiæ index. Ioan. 1. & 6.

ἱερᾷ ἑβδόμῃ.

Gen. 17. Summa allegoriarum huius operis.

in se habeat, Risum. Sicuti dolor & metus proprias nuncupationes habent, quas affectus ipse violentior ac potentior nominauerit. eodè modo bona consilia, & delectationes, naturalibus appellationibus uti cogunt, quibus vix quisquam magis propria & rectiùs imposita vocabula reperiat; tametsi in nominum impositione callidus & peritus sit admodum. Iccircò ait, Benedixi ipsum, augebo ipsum, multiplicabo, duodecim gentes generabit. *Qui circulus & orbis universus est Sophisticarum institutionum ac præceptionum.* Testamentum autem meum stabiliam cum Isaaco. *Vt virtutis utriusque particeps fiat humanum genus, eius nimirum quæ doctrina comparatur, & eius quæ per se discitur; atque illius quidem quæ docetur, compos sit pars imbecillior; huius verò quæ in promptu est, firmior & robustior. Porrò,* Circiter tempus illud pariet tibi, *inquit,* Sapientia Gaudium. *Quale, ô maximè admirande, tempus indicas? An illud verò quod ab ortu indicari non potest? nam id demum Tempus opportunum & verum esset; Oriens Vniuersitatus, felicitas & opportunitas, terræ, cæli, natu-*

Appellationes naturales.

Ibid. Ecce benedicam ei; & augebo & multiplicabo eum valde. xij. Duces generabit.

Pactum verò meum statuam ad Isaac.

Virtus duplex.

Tempus aeternum.

Num. 14. v. 9. Recessit ab eis omne præsidium. Dominus nobiscũ est. Recessit opportunitas ab ipsis: Dominus verò in nobis. *Nam prorsus fermè fatetur opportunum tempus Deum esse, qui longè ab omni impio refugit, sed animis virtuti incumbentibus obuersatur:* Ambulabo enim inter vos, *inquit,* & ero Deus vester. *At verò qui tempestates*

Leu. 26.

Tempus opportunum. *anni, tempora opportuna esse dicunt, non propriè nominibus vtuntur, vt qui non planè & accuratè naturas rerum inquirunt, sed magnam adhibent temeritatem. Extendens autem pulchritudinem eius quod generatur, ait, Ipsum altero anno oriturum: per alterum annum, non interuallum designans temporis, quod Lunaribus vel Solaribus mensuratur orbibus: verùm stupendum quiddam, peregrinum ac nouum re vera, aliud ab ijs quæ videntur & sentiuntur, quod in incorporeis & intelligibilibus censetur, atque adeò temporis exemplum, & primæuum seculum sortitum est. Describitur autem Seculum, vita mundi intelligibilis, vt sensibilis Tempus. In quo anno centuplum inuenit hordeum, is qui Dei munera seuerat, ad plurium bonorum procreationem: vt eorum plurimi, qui digni erant, beneficia consequerentur. Enimuero mos est, vt is qui seminauit metat. Quòd vero ille seuit, ostendens aduersariam inuidiæ ac malitiæ Virtutem; inuenire quidem, sed non metere dicitur. Alius enim fuit qui aristam beneficiorum pinguiorem*

Gen. 17. Tempore isto, in altero anno.

Seculi descriptio, & temporis.

Gen. 26. v. 12.

Psal. 125.

atque vberiorem reddidit, & spem maiorem, amplioráque beneficia proposuit ijs qui quærebant, ad inueniendum. Cæterum illud, Absoluit sermonem cum ipso: *idem est atque, Auditorem ipsum perfectè erudijt, cùm antea Sapientiæ inanis esset, & immortalibus dictis impleuit. posteaquam verò perfectus euasit discipulus, ascendit Dominus ad Abrahamum, non vt declararet eum disiunctum esse; (quoniam naturâ, Sapiens Dei comes est) sed quia promptam discipuli volũtatem proponere volebat, vt quemadmodum didicerat magistro non iniungente nec vrgente, nulla premente necessitate, ipse sui specimen dando, voluntaria & spontanea alacritate adhibita, sic per se ipsum operaretur. Dat enim præceptor locum ei qui didicit ad spontaneam meditationem, nullo suggerente, indelebilis memoriæ speciem firmissimam imprimendo.*

Gen. 17. Cùm finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.

Sapiens Dei comes.

FINIS ET DEO LAVS.

CANDIDO LECTORI.

IN hac interpretatione nostra quæso te, Lector ingenue, ne paucis offendaris maculis, *quas aut incuria fudit, Aut humana parum cauit natura.* nam humani nihil alienum à nobis putamus, in hoc præsertim scribendi genere subtili, vbi illæ ipsæ Allegoriæ (vt de Thucydidis concionibus

AD HVIVS PHILONIS Libri Interpretem Michaëlis Carpentarij in ſuprema Curia Pariſienſi Aduocati,

EPIGR.

ARMA *licet reſonent ſtudijs contraria ſemper,*
Et ſileant Muſæ, Marte furente fero:
Te tamen haud reuocăt armorum, docte Morelle,
Æſtus, pro ſolito quin tua Muſa canat.
Cognita dum Graijs tantùm monimenta Philonis,
Nunc reddis totam nota per Auſoniam.
Huic ſimilis qui expugnatam non audijt vrbem,
Et quem non mouit miles ab arte ſua.
Quod fauſtum, felix, nec fallax auguror omen,
Antiquum Muſis poſſe redire decus.



INDEX NOMINVM PROPRIORVM QVORVM NOTATIO ET Interpretatio & mutationis ratio hic redditur, & aliorum quorundam.

INDEX LOCORVM ET CAP. SRIPTVRÆ SANCTÆ, QVÆ hic explicantur.

Ex D. Augustini lib. 1. de Doctr. Christ. Cap. vlt.

Admonendi sunt studiosi venerabilium literarum, non solum, vt in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, & quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter aduertant: verumetiam, quod est præcipuum, & maxime necessarium, orent vt intelligant.